ARS IGNATIANA

IACOBI NONELL

E SOCIETATE IESV

ARS IGNATIANA

ANIMORVM AD DEVM PER CHRISTVM

ADDVCENDORVM

QVAE LATET IN LIBRO

EXERCITIORVM SPIRITVALIVM

ALMA COLLEGE
060.32
LIBRARY
N731
Alma, California

ANNVENTIBVS SVPERIORIBVS

BARCINONE

EXCVDEBAT FRANCISCVS ROSALIVS

ANNO MDCCCLXXXVIII

6565

ANTONIO . MARIAE . ANDERLEDYO

RECTORI . MAXIMO . SOCIETATIS . IESV

STVDIOSISSIMO

PIARVM . IGNATII . PATRIS

COMMENTATIONVM

PROVINCIA . ARAGONIAE

DIE . III . NON. OCTOBR. M . DCCC . LXXX . VIII

ANNIVERSARIO

INITAE . ANTE . ANNOS . L

SOCIETATIS

LECTORI BENEVOLO S. P.

Admodum Reverendus P. Ioannes Roothaan in encyclicis suis ad universam Societatem litteris, die 27 Decembris anni 1834 datis, quibus Patres Fratresque Societatis ad Exercitiorum Spiritualium usum ac studium hortabatur, illud fateri non dubitabat, saepe sibi multumque cogitanti quanam potissimum ratione in renata Societate spiritus ille vel exsuscitari, sicubi opus esset, vel conservari, foveri, promoverique posset, qui olim tum primordia, tum incrementa tam laeta dedit Ecclesiae Dei, tamque fructuosa ad innumerorum hominum salutem; nihil aliud aptius efficaciusque occurrisse, quam Sancti Patris nostri Exercitiorum Spiritualium diligens studium et accuratum usum.

Qua vero diligentia ipse in Exercitiorum studium incubuerit, ostendunt tum constans illa sollicitudo, qua utramque versionem, vulgatam ac litteralem, fidei hispanici autographi, a se reperti, reddere curavit, tum sapientissimae illae

commentationes, quibus Ignatianum opus illustravit, eiusque intelligentiam reddere faciliorem studuit. Quibus sane adnotationibus si P. Petri Ferrusolae recens edita «Commentaria,» itemque P. Ludovici Palmensis «Viam Spiritualem,» nuper in latinum sermonem translatam, addideris; vix fieri posse videtur, ut thesaurus in aureo Exercitiorum libello reconditus, non satis patefactus fuerit; ut proinde quidquid de eodem argumento tractare cupias, supervacaneum dicendum sit.

Fateor equidem multa, eaque sapientissime pertractata, in laudatis auctoribus reperiri. At vero totam, quae in libello latet, doctrinam penitus ab ipsis exhaustam non fuisse, duo haec persuadent. In primis enim Palmensis, qui totum librum explanandum susceperat, ex tribus partibus, in quas amplissimum suum opus distribuerat, perfectam solummodo reliquit unam, in qua, ipso fatente, vix aliud quam viginti adnotationes explanare statuerat. Pater vero Ferrusola diserte ait, aliquibus dumtaxat notis se Exercitia illustrare voluisse. Quod si exercitiorum explanationes fortasse absolvit, uti proposuerat scribere, nuspiam tamen eae hactenus reperiri potuere. Pater denique Roothaan textum Ignatianum perpetuis utique suppositis notis captu faciliorem reddere curavit, ipsum vero textum neutiquam totum exposuit.

Deinde vero Exercitiorum intelligentia, eorumque tradendorum ars tot tantisque scatent difficultatibus, ut Beatus ipse Ignatius quatuor solummodo ex priscis illis Patribus nominaret, qui arte et industria tradendi aliis Exercitia eminerent. Primas enim hac in re partes Fabro deferebat; Salmeroni secundas, (qui uterque ab ipso Ignatio Exercitia acceperant); post hos Franciscum Villanovam, (qui primum acceperat a Salmerone); denique Hieronymum Domenech laudabat: Franciscum etiam Stradam pro exercitiis primae hebdomadae peridoneum censebat. Quod si inter tot Patres, omnis sanctitatis sapientiaeque laude praestantes, tam pauci reperti sunt, qui hanc artem perfecte callerent, quis non intelligat maximam, ne insuperabilem dicam, ipsius artis addiscendae exercendaeque difficultatem?

Et tamen ex instituto tenemur omnes in Societate hoc spiritualium armorum genus non quomodocumque tractare, sed ita ut, primo, ad Exercitia tradenda assuescamus; secundo, eorum reddere rationem noverimus; tertio denique, in hoc armorum genere tractando dexteritatem habeamus. Ita enim iubemur in quarta Constitutionum parte [1]: «Ad Exercitia Spiritualia aliis tradenda, postquam quisque in se fuerit expertus, assuescant; et dent operam omnes, ut et eorum

1 Cap. VIII, § 5.

reddere rationem, et in hoc armorum spiritualium genere tractando, (quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur), dexteritatem habere possint.» An vero a tanto opere rei difficultate deterreamur? An non potius exstimulemur, ut thesaurum, in Ignatiano libello reconditum, perscrutari conemur, ut sin minus totum, maximam saltem, quam possimus, eius partem hauriamus?

His equidem argumentis sum adductus, ut manum huic operi, audacius sane, fateor, admoverem. Quo vero minus ei auctoris imperitia detraheret auctoritatem, illud perpetuae mihi curae fuit, ut Ignatii mentem nequaquam ad meos aliorumve sensus pertraherem; sed ex ipsis Beati Patris scriptis accurate vel perpensis vel inter se collatis, comperirem. Si id nactus sim, satis me fecisse arbitror. Sin minus, stimulos saltem admovebo, ut alii uberiori lumine, diuturniori experientia, ingenio acriori, praestantiorique auctoritate ornati, ad arduum hoc opus se conferant, idque felicius utiliusque absolvant.

CAPVT I

DE IGNATIANIS EXERCITIIS IN VNIVERSVM SPECTATIS, DEQVE VARIA EORVM SPECIE PRO DIVERSA EXERCENDORVM DISPOSITIONE

Ignatiana Exercitia in genere spectata definiri possunt: Complexus spiritualium operationum speciali quodam ordine ab Ignatio dispositarum ad spiritualem animorum profectum obtinendum.

Quum autem spiritualis profectus varios, eosque inter se longe diversos, et alios aliis perfectiores, contineat gradus, quorum alii alias in homine exercendo dispositiones requirunt, iuxta particularem perfectionis gradum, ad quem vocatur; necesse fuit nonnullas constitui Exercitiorum species, quarum singulae diversis hominum dispositionibus responderent. Ad has vero species distinguendas, duplex statuit Ignatius principium, iuxta quod quinque hominum, ad Exercitia accedentium, classes recenset. Vtrumque principium in decima octava adnotatione reperitur. Prius est, ne cui «Tradantur ea, quae commode [seu suaviter] ferre non possit, et quibus non possit proficere.» Alterum vero est, «Iuxta dispositionem eorum, qui volunt Exercitia Spiritualia suscipere,... applicari debere talia [huiusmodi] Exercitia.» Duplicem vero affert huiusmodi dispositionem: alteram quidem, quae ab hominis voluntate dependet; alteram vero, quae hominis voluntati non subiacet. Et iuxta duplicem huiusmodi dispositionis speciem, quinque haec distinguit tum hominum gene-

ra ad Exercitia accedentium, tum tradendorum Exercitiorum rationes, singulis huiusmodi hominum generibus respondentes.

Primvm igitur genvs est eorum, «Qui [tantum] se iuvare volunt, ut instruantur, et ut perveniant ad certum gradum contentam reddendi animam suam.» Ratio vero tradendi hisce hominibus Exercitia est, quam docet sequentibus verbis: «Dari, inquit, potest *a)* examen particulare, ac *b)* postea examen generale, simul *c)* et modus orandi, mane per mediam horam, circa praecepta, peccata mortalia,» etc., id est, modus primus orandi ex tribus, qui sub fine libri Exercitiorum continentur. «Commendando ei etiam, subdit, confessionem suorum peccatorum octavo quoque die, et, si potest, communionem decimo quinto [quoque die], et si [ita] afficitur, melius octavo quoque die.»

Secvndvm genvs est eorum, qui rudiores sunt seu illitterati. Modus autem tradendi iis hominibus Exercitia nihil differt ab eo, quem diximus, nisi in fusiore rerum, pro eorum captu, enucleatione. Ait enim: «Hic modus magis est conveniens rudioribus seu illitteratis, declarando illis unumquodque praeceptum; et sic de peccatis mortalibus, praeceptis Ecclesiae, quinque sensibus et operibus misericordiae.»

Tertivm genvs eorum est, qui sunt «Exigui subiecti vel parvae capacitatis naturalis, a quibus non speratur multum fructus,» licet bona aliunde voluntate, et fortasse etiam litteris, sint praediti: at modicus fructus sperari ex eis potest, eo quod debiles sunt, vel parum capacis naturae. Huiusmodi hominibus duo vetat tradere, duo autem tradere iubet. Vetat enim, *primo*, «Ne progrediantur ulterius in materias electionis, neque» *secundo*, «in alia ulla exercitia, quae sunt extra primam hebdomadam:» iubet autem eis, *primo*, «Tradere aliqua

ex his exercitiis levibus, donec faciant confessionem suorum peccatorum; *secundo*, «ac dein aliqua examina conscientiae;» et subiungit: «Praescribendo ut confiteatur frequentius, quam solebat, ut se conservet in eo, quod adeptus est.»

Tria in his verbis notatu digna occurrunt. *Primum* est, tertio huic hominum generi praescribi Exercitia inverso ordine quam duobus praecedentibus praescripta fuerant. Ibi enim incipiebatur ab utroque examine, post quod intelligitur facienda peccatorum confessio: hic autem non traduntur examina nisi postquam confessio peccatorum facta fuerit. *Secundum* est, huic tertio generi praescribi frequentiorem solito peccatorum confessionem post Exercitia faciendam, eo nempe fine, «Vt se conservet in eo, quod adeptus est;» id quod supponere videtur, eum in Exercitiis statum iam seu gradum illum obtinuisse, ultra quem non sit illi progrediendum, sed satis esse ut in illo se conservet: e converso, de priori duplici genere nihil dicitur, ex quo intelligi possit contentos illos debere esse eo fructu, quem ex suis Exercitiis retulere. *Tertium* denique, meminisse hic Beatum Patrem de exercitiis quibusdam LEVIBVS, quae nondum hactenus nominaverat. Quaenam autem sint huiusmodi levia exercitia, aliter ab aliis explicatur. Vulgatus enim interpres ita vertit, ut referat ista levia exercitia ad exercitia praescripta priori duplici generi; ait enim: «Satius fuerit aliqua ex DICTIS levioribus exercitiis ei praescribere usque ad confessionem peccatorum.» At P. Roothaan aperte contradicit. «Non ut habet vulgata, inquit, EX DICTIS EXERCITIIS, quasi vero ne illa quidem omnia dari possint, quae paulo ante enumerata fuere; quum immo paulo infra multo latius extendat quae hic dicuntur, scilicet ad omnia primae hebdomadae exercitia. Ergo EX HIS intellige non EX DIC-

tis, sed ex his, quae in libro ipso continentur.» Quam quidem interpretationem confirmat ipse Beatus Pater quoties tum in Constitutionibus tum in aliis scriptis documentis asserit exercitia primae hebdomadae posse pluribus tradi, non item vero exercitia subsequentium trium hebdomadarum.

Ex quibus omnibus duo infero. *Prius* est, mentem Beati Patris fuisse, ut primo ac secundo generi potius quam traderentur Exercitia, stimuli admoverentur, ut ad meliorem dispositionem vellent assurgere, sive limitatam illam proficiendi voluntatem in desiderium omnimodae perfectionis adipiscendae commutando, sive per studium litterarum suam exuendo ruditatem atque imperitiam; qua certe meliori dispositione ornati, ab alterutro ex duobus primis generibus ad alterutrum ex duobus postremis demigrarent, atque ad integra Exercitia suscipienda idonei redderentur. *Alterum*, quod infero, est, in prima hebdomada exercitia quaedam reapse contineri, quae «gravia» dicenda sint, si quidem conferantur cum illis, quae a Beato Patre «levia» nuncupantur. Quaenam autem gravia, quaenam vero levia censenda sint, ex his exercitiis, quae praeter examina in hebdomada prima reperiuntur, commodius infra dicetur.

Qvartvm igitur genvs hominum, ad Exercitia accedentium, eorum est, «Qui implicati sunt in rebus publicis vel negotiis convenientibus, sive litterati sint, sive ingenio polleant,» ut habetur in undevicesima adnotatione, ubi statuitur ratio, qua huiusmodi homines exerceri possunt extra secessum et iuxta brevius tempus, quo exercitiis quotidianis vacare possunt.

Qvintvm denique genvs eos, ut dicitur in vicesima adnotatione, complectitur, «Qui magis expediti sunt, et qui desiderant in omnibus, quantum possunt, profice-

re:» eos videlicet, qui nullo prorsus ex impedimentis hactenus recensitis prohibentur, sed praeter intellectum scientiis litterisque excultum, aut saltem bonum ingenium, quod scientiae litterarumque defectum suppleat, et praeter corporearum virium firmitatem, bonam gerunt voluntatem proficiendi quantum possunt, neque necessariis occupationibus distinentur, quibus prohibeantur quominus Exercitiis tranquille in secessu incumbant. His igitur tradenda sunt «Omnia Exercitia Spiritualia, eodem ordine, quo procedunt.»

Duplici ergo ratione fient Exercitia, *integre* nimirum et *non integre*. *Non integre* quidem, et, ut ita dicam, *inchoative*, a voluntarie indispositis primi ac secundi generis, si forte disponi velint; quodammodo autem *complete*, ab involuntarie indispositis tertii generis, qui melius disponi nequeunt. *Integre* vero, at *alio*, quo procedunt, *ordine*, ab eis, qui dispositi quidem sunt, at occupationibus impediti; *integre* tandem et *eodem*, quo procedunt, *ordine*, ab dispositis atque ab omni alia occupatione expeditis.

Quibus omnibus addi potest alia species, tironum videlicet tenerioris aetatis ac litteris scientiisve nondum excultorum, qui tamen tum experimenti, tum formae Societatis suscipiendae causa, integris Exercitiis eodem, quo procedunt, ordine in tirocinio exercentur; iterum vero solidiusque exercendi, post absoluta studia, ac proinde plene dispositi, in tertia probatione.

Totam doctrinam, fusius in postremis tribus adnotationibus explicatam, brevius complexus est Beatus Pater in septima Constitutionum parte [1], ubi quinque praedicta genera ad tria redegit, singulisque propria exercitia adsignavit. Nam primo «Exercitia, inquit, Spiri-

1 P. VII, cap. IV, litt. *F.*

tualia plene non nisi PAVCIS, iisque huiusmodi, ut ex eorum profectu non vulgaris ad Dei gloriam fructus speretur, tradenda sunt.» Deinde, «Primae hebdomadae Exercitia, subiungit, ad MVLTOS.» Tandem, «Aliqua conscientiae examina, et modi orandi (praesertim primus trium illorum, qui in Exercitiis proponuntur,) ad MVLTO PLVRES etiam extendi possent.» Vbi notanda est gradatio illa PAVCIS, MVLTOS, MVLTO PLVRES, qua significavit raros admodum esse, qui omnibus requisitis conditionibus praediti sint: multos vero, qui independenter a sua voluntate earum aliquibus carent; denique, maximam partem eorum esse, qui vel limitatam gerunt proficiendi voluntatem, vel litteris exculti non sunt, neque excoli volunt, quibus fieri possent apta divinae gloriae promovendae instrumenta. Merito igitur eos solummodo existimavit aptos ad Exercitia plene suscipienda, qui illis dotibus ornarentur, quibus praediti esse debeant ii, qui ad Societatem admittuntur; quasi eadem requirantur ad Exercitia suscipienda, quae, ad ingrediendum in Societatem. In codice enim Doctoris Victoriae, quem citat P. Palmensis in Via Spirituali [1], paucis verbis rem totam ita Beatus Pater absolvit: «Quanto quis ad religionis institutum et ad Societatem sit aptior, tanto, simpliciter loquendo, aptior erit ad suscipienda Exercitia.» Existimavit videlicet, ut advertit Palmensis, «Non posse se brevius simpliciusque significare quinam aptiores essent ad Exercitia cum fructu suscipienda, quam si diceret eos esse, qui aptiores essent ad Societatem.» Quaenam autem dotes requirantur ab accedentibus ad Societatem, dixit in Constitutionibus [2]: quas inter dotes recenset bonum intellectum

1 Lib. IV, cap. XIX.
2 P. I, cap. II.

memoriamque bonam; et, quod ad externa attinet, honestam speciem, sermonis gratiam, sanitatem ac vires, aetatem: «In quibus, inquit, quo magis praecelluerit (qui admitti cupit), eo magis erit ad hanc Societatem aptus; quo vero minus excelluerit, eo minus erit idoneus.»

Ab hac sententia de ratione tradendorum Exercitiorum numquam per totum vitae tempus Beatum Patrem recessisse, eruitur ex quadam instructione [1] ad universam Societatem data biennio ante quam e vivis excederet. «Quod ad Spiritualia, scribit Polancus, Exercitia pertinet, iubeor a P. Ignatio universos admonere, ut viris pariter et foeminis tradere curent: foeminae vero ad ea accipienda in templum veniant. Id autem intelligendum est de exercitiis primae hebdomadae, adiecto aliquo ex orandi modis, quo deinceps utantur. Qui vero ita excolantur, ne in secessum abeant, sed aliquot horas quotidie in hac re insumant. Ita enim Exercitiorum utilitas ad plures extendi potest: Exercitiorum, inquam, usque ad generalem admissorum confessionem, et aliquem ex orandi modis, ut dixi. Aitque Pater, velle se singulis hebdomadis certiorem fieri quid in hac re actum sit, quot videlicet Exercitia acceperint, quotve ad ea facienda adducti fuerint; itemque de scholasticorum frequentia.»

«Integra Exercitia paucioribus sunt tradenda, iisque dumtaxat, qui capacis sint naturae, quales sunt qui ad Societatem idonei censeantur, et graviores aliqui viri: huiusmodi namque hominibus Exercitia adiumento non vulgari esse possent, et cum iisdem tempus utiliter impenderetur. Neque miretur V. R. si tam serio ea, quae ad Exercitia spectant, commendentur: inter media

1 Cartas de San Ignacio, tomo IV, carta CCCCXCIII.

enim, quibus utitur Societas, id eius est maxime proprium; perque id innumeri homines ad maius Dei Domini nostri obsequium adducti sunt; et maxima praestantium virorum pars, qui nunc temporis in Societate sunt, per hanc viam a seculo ad eam venerunt: neque proinde melior alia via quam haec superesse videtur, ut idoneis illa ministris augeatur. Illis autem, qui matrimonio iuncti sunt, aliisque sive secularibus sive regularibus hominibus, Exercitia, maxime primae hebdomadae, perquam utilia sunt.—Iesus Christus sit cum omnibus vobis.—Romae, 18 Iunii 1554.—Ex commissione P. N. Ignatii,—IOANNES DE POLANCO.

CAPVT II

EXERCITIORVM DEFINITIO ET IN QVATVOR HEBDOMADAS PARTITIO

Nomen « Exercitium » duplici potissimum sensu a Beato Ignatio solet usurpari: primo, plurali numero, pro complexu omnium tum exercitationum tum documentorum spiritualium in libello contentorum; secundo, pro speciali aliqua spirituali exercitatione, quae quotidie ac definitis diei horis per certum temporis spatium peragenda praescribitur: quo sensu tum singulari tum plurali numero nomen illud adhibet. Singulari quidem, ut patet exempli causa, in his, quae post quintum primae hebdomadis exercitium leguntur. « Primum EXERCITIVM, ait, fiet media nocte; secundum, statim ac [quis] mane surrexerit; » etc. Singulis vero eorum exercitiorum per integram horam esse incumbendum, docet in duodecima adnotatione. Plurali autem numero adhibet in sexta adnotatione, quando admonens eum, qui tradit Exercitia, si animadvertat ei, qui recipit, nullas

incidere spirituales animi commotiones, «Multum debere eum interrogare circa EXERCITIA, an ea faciat praestitutis temporibus, et quomodo [ea faciat].» Et ita passim. Ex quibus patet vocari speciali nomine a Beato Patre «exercitia» primam ac secundam quotidianam meditationem contemplationemve, duplicem earumdem repetitionem, sensuumque tandem applicationem.

Exercitia autem, quae nunc definienda suscepimus, non hac secunda acceptione, sed priori, sumimus. Quorum sane definitionem tam propriam tamque absolutam tradit Ignatius in prima adnotatione, ut mirum sit quam multa paucis admodum verbis constrinxerit.

§ I. DEFINITIO NOMINIS EXERCITIORVM

Ipsum «Exercitii» nomen a similitudine sumptum docet, quam cum corporea exercitatione gerunt spirituales operationes, de quibus acturus est. «Sicut ambulare, inquit, ire, et currere sunt exercitia corporalia, ita quilibet modus... etc., vocantur Exercitia Spiritualia.» Cuius quidem duplicis exercitii similitudo, inde fortasse declarari posset, quod quaedam spirituales operationes triplici huic corporalis exercitii gradui sint assimiles. Vt si dicas quotidianum examen et hebdomadariam, exempli gratia, peccatorum confessionem assimilari corporali deambulationi; meditationem, itineri; contemplationem denique cursui: dubitari namque non potest, quin aliqua exsistat inter huiusmodi exercitationes similitudo.

Nihilominus existimo similitudinem hanc a Beato Patre inter corporeas atque spirituales exercitationes statutam, potius quam ab ipsa operum, ut ita dicam, substantia, a modo, quo illae perficiuntur, esse repetendam. Illum enim obambulare dicimus, qui corpore

utique movetur; sed, nullo sibi itineris termino praestituto, procedit ac recedit, donec ibi tandem consistat, unde primo egressus fuerat. At vero, qui iter ingreditur, praefixum in animo gerit itineris terminum, singulisque corporeis gressibus ad eum semper propius curat accedere, donec ipso obtento, quiescat. Quod si in itinere conficiendo quam potest gradu celerrimo progrediatur, tunc currere dicetur. En triplicem gradum corporeae exercitationis. Vbi animadverte, fieri utique posse, ut qui deambulat, citius moveatur, quam qui iter facit, immo tam cito, quam ille, qui currit: deambulasse tamen dicetur, si post confectum iter aut cursum, in ipso viae initio semper reperiatur. Vbi graphice depingitur triplex eorum gradus, qui per spiritualem viam incedunt.

Non pauci enim ita per spiritualem viam incedunt, ut tamen in ea numquam progrediantur: quotidie namque orationi, lectioni piae vacant; saepe ad sacramenta poenitentiae atque eucharistiae accedunt, et alia id genus exercitia faciunt; defectus vero non corrigunt, vitia non expellunt, virtutes non adquirunt. Cur hoc nisi quia obambulantium more, nullum per pia huiusmodi exercitia finem serio consequi nituntur, sed ad summum sibi finem exercitiorum ipsa exercitia praestituunt? Ita vero a se exeunt, ut illico ad se revertantur; proponunt utique mores corrigere, oblatas vero occasiones exercendi actus virtutis negligunt ac praetermittunt. Quare postquam diu ineffícacibus huiusmodi desideriis acti sunt, quales erant in principio, tales in fine reperiuntur.

Alii vero sunt, qui ad praefixum scopum continenter tendunt: qui nimirum spiritualia exercitia non reputant finem, in quo quiescant, sed media ad perfectam sui abnegationem mortificationemque obtinendam; qui

sive plures adsint visitationes spirituales, sive pauciores, curant SEMPER in via divini servitii PROGRESSVM FACERE, ut loquitur Beatus Pater in Constitutionibus [1]. En quam mirifice depinxit eos, qui non sane, obambulantium more, quantum quotidie procedunt, tantum recedunt: sed qui semper absque ulla intermissione progrediuntur: talesque optabat eos, qui in Societate probantur, ut patet ex titulo tertiae illius partis: «De iis conservandis, inquit, et promovendis, qui in probatione manent.» Qui vero in Societatis corpus, sive ut professi sive ut coadiutores, admissi iam fuerint, supponuntur a Beato Patre [2] «Sic in via Christi Domini profecisse, ut per eam currere possint.»

Neque vero in Constitutionibus solum suam mentem exposuit Ignatius circa huius similitudinis intelligentiam; sed in ipsis etiam Exercitiis saepius triplicem illum similemve gradum ob oculos ponit. In exercitio enim de Regno Christi, in secundo praeludio iubet: «Petere gratiam a Domino nostro, ut ne sim surdus ad eius vocationem, sed promptus ac diligens ad explendam eius sanctissimam voluntatem.» Vbi habes SVRDVM, qui audire non vult, neque pedem movere, ut viam ingrediatur: habes PROMPTVM quidem ad audiendum, sed tardum ad exsequendum: habes denique DILIGENTEM ad explendam Christi sanctissimam voluntatem. Item in eodem exercitio proponitur «Dignus qui vituperaretur ab universo mundo et perversus haberetur eques,» ille, qui «non acceptaret petitionem talis Regis:» ecce surdum, et obambulantem, immo iam retro gradientem: deinde «Considerare, inquit, quod omnes, qui habent iudicium et rationem, offerent se totos ad laborem;»

1 P. III, cap. I, § 10.
2 Ibid. P. VI, cap. III, § 1.

ecce ineuntem iter: tandem «Ii, qui magis allici volent et insignes se exhibere,» etc. ecce diligentes, qui in via Christi non modo progressum facient, sed current.

Idipsum facile perspicies in exercitiis de tribus binariis ac de triplici humilitatis gradu: in utroque namque eadem illa gradatio, triplex illa incedentium species exhibetur. Beatus vero Ignatius, quum triplicem huiusmodi perfectionis gradum homini proponat, qui, ut dicitur in vicesima adnotatione, «Desiderat in omnibus, quantum potest, proficere,» quam aliam ob causam proponit, nisi ut tertium et magis perfectum amplectatur? Quae quidem hominis dispositio in hac Ignatiana arte prae oculis semper habenda est; quia ad homines dumtaxat, qui ea ornantur, diriguntur Exercitia.

Ex allatis Constitutionum locis alia erui licet ratio explicandae ad mentem Sancti Ignatii similitudinis, quae inter corpoream ac spiritualem exercitationem exsistit. Quum enim ibi et «cursum» eorum, qui iam per postrema vota in Societatem cooptati sunt, nominet; itemque commemoret eorum, qui biennii vota nuncuparint, «progressum» semper faciendum, quod iter facientis est proprium, quid reliquum est nisi ut obambulare dicendi sint qui in tirocinio versantur? Nam qui recens spiritualem viam ineunt, etiamsi maiori, ex vitae novitate, fervore procedere soleant; tamen quia inordinatas animi affectiones nondum cohibitas, immo vividiores, gerant, vires autem spiritus debiliores adhuc experiantur, qui fieri potest ut non saepe incidant, quantumvis serio proponant lapsum omnem evitare? Per se igitur loquendo potius obambulant, quam iter faciunt, quamvis non iter modo facere, verum etiam currere, communiter videantur.

§ II. DEFINITIO EXERCITIORVM PER CAVSAM MATERIALEM ET FORMALEM

Explicata iam nominis ratione, videamus rei definitionem, quam per materialem ac formalem causam explicat Ignatius. «Nomine, inquit, Exercitiorum spiritualium intelligitur quilibet modus examinandi conscientiam, meditandi, contemplandi, orandi vocaliter et mentaliter, et aliarum operationum spiritualium, prout deinceps dicetur.»

Quod igitur ad materiam, seu, prout dialectici loquuntur, genus definitionis proximum, attinet, varias singillatim recenset, aliasque postea persequendas innuit, operationes spirituales. Singillatim quidem recenset, modum omnem, primo, examinandi conscientiam, per utrumque videlicet examen, particulare ac generale; secundo, meditandi, tum per veram propriamque meditationem, tum per eiusdem repetitionem, applicationemque sensuum rei iam meditando tractatae, et semel aut bis repetitae; tertio, contemplandi, cum adiuncta repetitione atque sensuum applicatione; quarto denique, orandi, et quidem vocaliter, ut docet in tertio, quem vocat orandi modo; mentaliter vero, prout habet in secundo ac primo.

Persequendas alias significat, quales sunt consideratio de fine hominis aliarumque rerum creatarum, ante primam hebdomadam; generalis peccatorum confessio, sub eiusdem hebdomadae finem facienda; status electio, aut reformatio, in fine hebdomadis secundae; regulae ad victum recte temperandum, in fine tertiae; regulae tandem sub libelli finem traditae ad eleemosynas distribuendas, ad sentiendos et dignoscendos scrupulos, et ad sentiendum vere cum Ecclesia: quae sane regu-

lae documentis etiam annumerari possunt. Huiusmodi omnes operationes materiam constituunt Spiritualium Exercitiorum non modo proximam, sed etiam remotam. Proximam videlicet, quia ipsaemet operationes in se spectatae, quatenus particulari quadam ratione seu forma ab Ignatio excogitata, seu potius a Deo ei caelitus inspirata, exercentur, constituunt Ignatiana Exercitia: remotam vero, quia quum illae operationes circa aliquam etiam materiam versentur oportet, hanc ipsam materiam, circa quam in Exercitiis et iuxta Exercitia versari debent, assignat Ignatius, tum in singulis cuiusque hebdomadae exercitiis, tum etiam in brevi illo catalogo, qui post triplicem orandi modum reperitur.

Hanc autem materiae designationem atque ordinem significare voluisse Ignatium illis definitionis vocibus «Prout deinceps dicetur,» patet ex quarta adnotatione, ubi singulis Exercitiorum partibus seu hebdomadis singulas adscribit materias. «Prima, inquit, est, consideratio et contemplatio de peccatis; secunda est, vita Christi Domini, usque ad diem Palmarum inclusive; tertia, passio Christi Domini nostri; quarta, resurrectio et ascensio.»

Eisdem autem illis verbis «Prout deinceps dicetur» significatur specialis illa ratio ab Ignatio sive adinventa sive caelitus hausta, qua exercendae sunt spirituales illae, quas recensuimus, operationes, ut vere dici atque esse possint Ignatiana Exercitia. Id enim pro comperto habetur ab iis, qui de Ignatianis Exercitiis agunt, in hoc ea ab aliis de perfectione obtinenda methodis secerni, quod particularem formam, qua singulae illae spirituales, quas diximus, operationes exercendae sunt, Ignatius docuerit, specialemque assignaverit finem per illas consequendum. Quum autem definitionis brevitas nequaquam permiserit, ut singulas illas formas, dein-

ceps latius explicandas, persequeretur; quumque eae illae sint, quae paucis constringi nequeant; generali illa loquendi ratione «Prout deinceps dicetur,» omnes illas complexus est. Ita partim fecerat in describenda materia: postquam enim examen, meditationem, contemplationem, orationemque recensuit; reliquas exercitationes omnes loquutione illa «Et aliarum operationum spiritualium» in universum significavit. Porro de speciali ratione seu forma, qua spiritualis quaeque operatio exercenda est, inferius suo loco dicetur.

§ III. DEFINITIO EXERCITIORVM PER CAVSAM FINALEM

Non modo per propriam eorum tum materiam tum formam Ignatiana Exercitia ab aliis spiritualis viae methodis distinguuntur; sed ex fine etiam, (eoque potissimum) qui non modo per omnia universe spectata, sed per quodvis seorsim sumptum exercitium, consequendus est. Quum tamen particulares singulorum exercitiorum fines ita inter sese sint subordinati, ut unum quemdam universalem finem constituant; hunc solummodo attigit in definitione Ignatius, de caeteris particularibus in singularibus exercitiis deinde tractaturus. Per hunc igitur universalem Exercitiorum finem, ita ea definit: «Quilibet, inquit, modus praeparandi et disponendi animum ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas, et postquam quis eas sustulerit, ad quaerendam et inveniendam voluntatem divinam in vitae suae dispositione, ad salutem animae, vocantur Exercitia Spiritualia.»

Porro triplicem ibi assignat finem: proximum, illis verbis: «Quilibet modus praeparandi et disponendi animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas;» remotum, ibi: «Et postquam quis eas sustulerit, ad

quaerendam et inveniendam voluntatem divinam in vitae suae dispositione;» ultimum tandem, postremis illis vocibus: «Ad salutem animae.» Quae quidem animae salus, etsi est primum in intentione, ultimum tamen est in exsequutione, ut in omnibus operabilibus contingit. Hic vero animae salus non strictissimo illo sensu intelligenda est, quatenus significat ultimi finis adeptionem seu non amissionem; sed latiori et omnino proprio sensu, pro animae perfectione, eaque quam maxima. Neque enim salute praeditum censetur corpus, si homo dumtaxat non moritur; sed si robustas habeat vires, si robusta corporis membra, ut vel difficilia et ardua opera valeat exercere. Ita ergo spiritualis salus ea est intelligenda, qua praeditus vir spiritualis, ardua virtutis opera exserere possit.

Iam vero huiusmodi spiritualis salutis obtinendae via, iuxta Ignatium, affertur adimpletio divinae voluntatis in vitae suae dispositione; in vitae, inquam, dispositione, non solum in statu vitae deligendo, sed etiam «In rebus omnibus particularibus» ut ipse alibi [1] loquitur: neque enim perfectus statim eris, si perfectionis tibi statum elegeris; sed si illius status officia peculiaria perfecte adimpleveris.

Voluntas divina, qua de hic agitur, duplex spectari potest. Altera intentiva, appretiativa altera. Intentiva, qua Deus aliquid determinate vult, idque eum velle constat; appretiativa est, qua Deus rem aliquam malle censetur, ob eiusdem rei excellentiam, quando determinata Dei voluntas homini nequaquam innotescere potest; ut puta, si nescias utrum Deus velit ut opus spiritualis misericordiae an corporalis hic et nunc exerceas, censendus est malle spiritualem, quam corpo-

1 Const. P. III, cap. 1, § 26.

ralem, misericordiam, ob intrinsecam misericordiae spiritualis prae corporali excellentiam. Divina igitur voluntas in Exercitiis et per Exercitia quaerenda atque invenienda primo et per se est intentiva. Dixi «primo et per se:» quia aliquo modo etiam appretiativa in genere cognoscitur, quatenus quid sit in se dignius Deo potest per Exercitia innotescere.

Ad inveniendam intentivam diriguntur electionis regulae, quas tradit Ignatius in fine secundae hebdomadae. Ad appretiativae cognitionem prudentissimas docuit regulas in septima Constitutionem parte [1], ubi «Ad meliorem, inquit, ac certiorem operum electionem, ad quae Superior suos mittit, eadem regula ob oculos veretur, scilicet divinus honor maior, maiusque bonum universale.» Ex qua generali regula particulares nonnullas alias ibidem infert.

Tandem inordinatae affectiones per Exercitia tollendae nihil aliud sunt quam concupiscentiae, appetitus, passiones, proprius suimet amor, subintellecto apposito hoc «inordinatus,» quod expressit Beatus Pater. Non enim omnis appetitus omnisque sui amor est auferendus: Deus enim praecipit ut nostrum bonum appetamus et nosmet ipsi amemus, amore utique ordinato ac divinae voluntati consono. Vocantur autem inordinatae affectiones, quatenus ad bonum delectabile inclinant et a malo avertunt praescisa honestatis ratione, et saepenumero contra rationem ipsam honestatis: quae quidem omnes ad triplex caput ab Apostolo Ioanne revocantur. «Omne, ait [2], quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae.» Hoc autem, quod in prima adnotatione significavit per

1 Cap. II, litt. *D*.
2 1 Ep. II, 16.

illa verba «Tollere a se omnes affectiones inordinatas,» uberius in ipsa Exercitiorum inscriptione explanavit, dicens: «Exercitia Spiritualia, ut [homo] vincat seipsum, et ordinet vitam suam, quin se determinet ob ullam affectionem, quae deordinata sit.» Tantum enim inordinatas affectiones tollet, quantum seipsum vincat eas coercendo atque, si fieri possit, exstirpando: ex earum vero exstirpatione, aut saltem cohibitione, fiet ordinata vita, quae prius, quando illis indulgebat, erat inordinata.

§ IV. INTEGRA EXERCITIORVM DEFINITIO

Ex hactenus allatis Exercitiorum per eorum causas definitionibus, una confici potest, quae ipsorum naturam integre et complete explicet. Nam definitio ex duplici causa materiali et formali locum generis, ut aiunt, proximi habere potest; definitio vero desumpta ex finali causa ultimam potest constituere differentiam. Exercitia ergo complete seu integre definirentur: Complexus spiritualium operationum a Sancto Ignatio in suo libello certo ordine dispositarum certaque forma propositarum, quibus anima se praeparet ac disponat ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas, et postquam eas sustulerit, ad quaerendam et inveniendam voluntatem divinam in vitae suae dispositione ad salutem animae.

Cuius profecto definitionis partes abunde sunt explicatae. Tria tamen obiter animadvertam. Primum est, voce illa «Complexum,» quam adhibui, melius, mea sententia, mentem Ignatii explicari iuxta autographum, quam verbis illis «Quilibet modus,» quo uterque interpres, vulgatus ac litteralis, usus est. Autographum enim habet *Todo modo:* vox autem hispanica «Todo» distri-

butive et collective significat. Iam vero, si sumatur distributive cum utroque interprete, definitio hunc sensum reddere videtur:» Quilibet ex modis *(cualquiera de los modos)* examinandi conscientiam (sive generaliter, sive particulariter), meditandi (sive sit prima, sive secunda quotidiana meditatio, sive sit earum repetitio, sive fiat per sensuum applicationem)... etc., modo haec fiant ea ratione ac forma ab Ignatio constituta, «prout deinceps dicetur,» et ad finem ibi praestitutum dirigatur; vocabitur et erit id quod Ignatius «Exercitia Spiritualia» nominat. Quis autem non videt alienum hunc sensum ab auctoris mente, qui in postrema adnotatione ita integra Exercitia appellat: «Omnia Exercitia Spiritualia eodem ordine, quo procedunt?» Non ait« Singula» et multo minus «Quaelibet,» sed «Omnia:» quam quidem vocem opponit verbis illis «Aliqua ex his exercitiis levibus,» quae habentur in adnotatione decima octava. Ergo loquutio illa *Todo modo* non distributive «Quemlibet,» sed «Omnem» collective modum significat.

Secundum animadvertendum est, auctorem Exercitiorum, immo et opus scriptum, quod ea continet, exprimi in definitione, ut per causae etiam efficientis significationem, omnino integra sit et completa definitio. Tertium est, loquutionem illam, quae habetur in autographo «*Todo modo* DE PREPARAR Y DISPONER EL ÁNIMA,» quam fideliter vertit litteralis «Modus praeparandi ac disponendi animam,» et liberius vulgatus «Praeparare ac disponere animam,» videri sensum activum reddere, non vero medium seu reflexivum, quia tunc clarius dictum fuisset «Prepararse y disponerse,» et in versionibus «Praeparandi ac disponendi se» et «Praeparare ac disponere se.» Mens tamen Beati Patris videtur ea esse, ut voces illae aut reflexivum habeant sensum, aut si

quidem activum, ut subiectum illius orationis sit «homo.» Nam certum est eiusmodi praeparationem ac dispositionem efficiendam esse non a Deo, sed ab homine. Non a Deo, secus quid exerceretur homo? Duplex autem solummodo interest homo in Exercitiis: qui ea tradit, et qui suscipit. Qui vero ea tradit, docendi tantum dirigendique suscipientem munere fungitur, ut ille exerceatur iuxta Ignatianas praeceptiones. Ergo suscipientis est «Animam (quamnam nisi suam?) praeparare ac disponere,» seu, quod idem est, «Se praeparare ac disponere.» Ideo hunc sensum reflexivum in definitione significavi: quem sane in Exercitiorum inscriptione apertissime proposuit Ignatius, inquiens: «Exercitia Spiritualia, ut vincat seipsum,» et hispanice: *Para vencer á sí mismo.*

§ V. EXERCITIORVM IN QVATVOR HEBDOMADAS DIVISIO

Exercitiorum in quatuor hebdomades partitionem aperte Ignatius in quarta adnotatione tradit. Loquens enim de temporis duratione intra quod Exercitia integra eodem, quo procedunt, ordine perficienda sunt, quatuor assignat hebdomadas, seu quod idem est, integrum mensem; maluit tamen non mensem, sed quatuor hebdomadas, nominare, quia «Respondent, inquit, quatuor partibus, in quas dividuntur Exercitia.» Ergo nomen «hebdomada» non praecisse octo vel septem dierum circulum significat, sed maiorem aut minorem dierum numerum, cui quaeque Exercitiorum pars respondet.

Vnde vero partium ratio desumenda est? Duplicem ibidem assignat Ignatius rationem. Priorem ex parte materiae; alteram ex parte fructus seu finis consequendi. Ex parte quidem materiae, «Prima, inquit, est con-

sideratio et contemplatio de peccatis; secunda est vita Christi Domini nostri usque ad diem Palmarum inclusive; tertia, passio Christi Domini nostri; quarta, resurrectio et ascensio, appositis tribus orandi modis.» Vbi continenter illud advertit: «Tamen non [ita hoc] debet intelligi, quod quaevis hebdomada necessario contineat in se septem vel octo dies.» Cuius rei causam apponit docendo veram rationem unde brevior longiorve temporis duratio sumenda sit; quae quidem ratio non est alia quam «inventio eius, quod quaerunt» qui sese exercent; nimirum, fructus seu finis particularis, in quaque hebdomada intenti, consequutio. Quum autem in hoc particulari fructu consequendo alii quidem ex se tardiores, alii diligentiores sint; itemque extrinsecus, alii minus, «Alii magis agitentur diversis spiritibus; necesse est, ait, ut aliquando contrahatur [prima] hebdomada, et [contra] aliquando protrahatur: et idem fiat in reliquis hebdomadis subsequentibus:» et concludit: «Quaerendo res [seu fructum proprium] iuxta subiectam materiam.»

Quinam vero sit fructus cuique hebdomadae proprius aliter pro aliis hebdomadis significavit. Nam finem hebdomadae primae aperte posuit «Contritionem, dolorem, lacrymas de peccatis suis.» De tribus autem hebdomadis subsequentibus illud generatim statuit: «Quaerendas esse res iuxta subiectam materiam.» Cur autem triplicem hunc particularem fructum heic minime designavit? Equidem existimo id fecisse, primo, ut brevitati consuleret; deinde, quia minus id erat necessarium: nam ibi loquitur ad Instructorem, qui ex propria experientia et ex munere, quo fungitur, illud ignorare non debet. Quum autem universe dicat eum fructum iuxta subiectam materiam esse quaerendum; quumque subiecta materia sit Christus Dominus, non tamen qua-

cumque ratione, sed quatenus imitandus: dici potest imitatio Christi, viventis quidem, esse finis hebdomadae secundae; morientis vero, tertiae; a mortuis denique suscitati atque in caelos ascendentis, quartae.

Habes igitur quatuor Exercitiorum partes seu hebdomadas inter se tum materia, tum fine distinctas. Quum autem in singulis hebdomadis nova quadam forma materia propria induatur: ex triplici hac cuiusque hebdomadae ab aliis distinctione, ordo est rerum tractandarum desumendus, ut dicamus, primo, de scopo ac fine singularum ex ordine hebdomadarum; deinde, de earum materia; tertio, de forma, qua ipsa materia proponitur. Materiam vero simul cum fine explicabimus: documenta autem, quibus Ignatius tum formam perficit, tum fructum tuetur, separatim in singulis hebdomadis perpendemus.

Prius vero quam ulterius progrediamur, dubiolum solvendum videtur, quod in hac quarta adnotatione oriri posset. Agens enim Ignatius de materia hebdomadis quartae, haec habet: «Quarta, resurrectio et ascensio, appositis tribus orandi modis.» Quaeri namque potest, cur apponi iubeat triplicem illum orandi modum materiae quartae hebdomadae? An quia censeat ad hanc hebdomadam pertinere? Respondetur in Directorio [1]: «Ponuntur tres modi orandi, non ut omnes, qui iam Exercitia peregerint, in eis exerceantur, (nam hoc non necessarium est); sed ponuntur ad complementum doctrinae, et propter rudiores et minus capaces, qui scilicet non ita possunt habere perpetuos discursus in oratione, ut diutius haereant in una materia.»

1 Cap. xxxvii, n. 1.

CAPVT III

DE PRINCIPIO ET FVNDAMENTO

Quemadmodum inferiores scientiae prima sua principia a superioribus mutuantur; ita artes a scientiis principia petunt, quibus innitantur in legibus regulisque tradendis ad rectam artis operationem obtinendam. Quare Beatus Ignatius antequam regulas tradat ad exercendas spirituales illas operationes, quibus homo praeparare se atque disponere debet ad tollendas a se omnes male ordinatas affectiones, quibus sublatis, quaerat ac reapse inveniat divinam voluntatem; principia divinae suae artis prima statuit, eaque infert ex veritatibus a morali philosopho ac theologo demonstratis. Duplicem ergo veritatem seu conclusionem a morali philosophia ac theologia desumit. Prior exprimit factum creationis hominis a Deo: «Homo, ait, creatus est, ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat, eique serviat, et per haec [haec agendo] salvet animam suam.» Altera continet factum creationis aliarum rerum. «Reliqua super faciem terrae [sita], creata sunt propter hominem, et ut eum iuvent in prosequutione finis, ob quem creatus est.»

Duplicis huius veritatis demonstratio pertinet ad philosophum, qui eam lumine rationis ductus ex naturalibus principiis infert; pertinet praeterea ad theologum, qui eam eruit ex verbo divino scripto et tradito, et ex Patrum sanctaeque Ecclesiae doctrina et auctoritate. Si ille, qui ad exercitia capienda accedit, sit philosophus aut theologus, oportet ut ipsam demonstrationem breviter recolat penitusque hauriat, ut consectaria, protinus eruenda, uberiori lumine capiat. Si vero qui

Exercitia aggreditur, memoratis illis scientiis operam non dederit; explanandae utique ei videntur veritates illae, quantum sufficere censeatur ad plenam utriusque consectarii mox inferendi intelligentiam.

Prius ergo consectarium a Beato Ignatio ex duplici illa veritate deductum, est huiusmodi: «Vnde sequitur, ait, homini tantum utendum illis (nimirum, reliquis supra faciem terrae sitis), quantum ipsum iuvent ad finem suum; et tantum debere eum expedire [retrahere] se ab illis, quantum ipsum ad eum [finem] impediunt.» Porro Beatus Pater non cuiuscumque certe artis spiritualis principia statuere aggreditur, videlicet, quae tantum ad finis ultimi consequutionem seu non amissionem dirigat; sed eius, quae ad supremum apostolicae perfectionis apicem certo perducat. Optat iam inde a principio bellum indicere male ordinatis omnibus affectionibus, quae hominem ad praeposteram mediorum obtinendi finis electionem pertrahunt, quarum nuper mentionem fecit in ipsa Exercitiorum inscriptione huic Principio et Fundamento praefixa: «Exercitia, inquiens, spiritualia ut [homo] vincat se ipsum, et ordinet vitam suam, quin se determinet ob ullam affectionem, quae inordinata sit.» Idcirco prius hocce consectarium non ita intelligendum est, quasi illa verba «Quantum ipsum iuvent ad finem suum» et «Quantum ipsum ad eum impediant», significent dumtaxat ea, quae praecepta et vetita sunt, et quidem ita praecepta aut vetita, ut eorum transgressio amissione finis ultimi puniatur; sed longe latiorem praeterea sensum habent, videlicet, omnem creatarum rerum usum ita cum fine, tum homini tum reliquis rebus praestituto a Deo, esse connexum, ut non modo si contra, sed etiam si praeter hunc finem, illis utare, inordinate agas. Inordinate, inquam, quatenus ordinem invertas, aut

saltem non serves, rebus omnibus a Deo constitutum. Qui profecto sensus et a praeiacto duplici principio, ut consideranti patet, eruitur; et necessarius est ad hoc ut ex priori hoc corollario alterum subsequens inferri liceat, ut suadetur ex ipsis verbis, quibus exprimitur.

Beatus igitur Ignatius alterum profert consectarium, quod primum suae artis principium constituit, tamquam semina continens omnium spiritualium operationum, omnium ex eis capiendorum fructuum, omnium, verbo, graduum, quibus ad culmen evangelicae perfectionis evehendus homo est.

«Quapropter, ait, necesse est facere nos indifferentes erga res creatas omnes, quoad concessum est libertati nostri liberi arbitrii et non prohibitum.» Nota emphatica verba. *a)* «Facere nos:» quia natura nostra non indifferentes sumus, immo caeca quadam inclinatione, per frequentes actus, perque intensos fortasse habitus corroborata, in ea rapimur, quae a finis consequutione nos retrahunt; ea aversamur, quae ad finem conducunt. Quare necesse est hos habitus exstinguere, ab illis actibus abstinere, ingenitam naturae propensionem coercere, et radicitus, si fieri posset, evellere: opus est contra ea omnia pugnare, donec homo se ipsum vicerit, et sui dominus et a deordinatarum affectionum impetu liber, ea, quae videt bona, efficaciter amplectatur; quae vero mala, longe a se repellat. *b)* «Erga res omnes creatas,» exclusis certe iis, quae prohibitae nobis sunt: contra eas enim toto animi impetu ferri debemus. At erga eas, quae nobis prohibitae non sunt, sed libertati nostri liberi arbitrii concessae, indifferentes nos prorsus efficere debemus; sive faciles eae sint, sive difficillimae; sive humano sensui iucundae, sive adversae sint: *c)* «Adeo, subiungit Beatus Pater, ut non velimus ex parte nostra magis sanitatem quam infirmitatem,

divitias quam paupertatem, honorem quam ignominiam, vitam longam quam brevem, et consequenter in caeteris omnibus.» Ardua sunt ista, et ea, a quibus non mundani solum, verum spirituales etiam homines ob naturae corruptionem maxime abhorreant; ea, quae si recte capiantur, vel fortissimum quemque et valde strenuum ab instituendo spirituali itinere, quale ab Ignatio proponitur, facile deterreant. *d)* Accedit difficultas postremis illis vocibus contenta: «Vnice desiderantes et eligentes ea, quae MAGIS nobis conducunt ad finem, ob quem creati sumus.»

Quorsum haec omnia? Cur non modo eligenda, sed, quod multo est magis, desideranda, ea, non quae simpliciter conducunt, sed quae MAGIS conducunt, ad finem, ob quem creati sumus? Cur etiam eiusmodi non solum eligenda ac desideranda, sed VNICE eligenda, VNICE desideranda? Haec profecto non illis proponuntur, qui satis sibi fecisse existimant, si media adhibeant ad finem ultimum dumtaxat non amittendum necessaria; sed illis abs dubio, qui ultimum finem quam perfectissima ratione possint, obtinere cupiunt; illis, inquam, non de quibus dicitur in decima octava adnotatione, velle tantum «Se iuvare, ut instruantur, et ut perveniant usque ad certum gradum contentam reddendi animam suam;» sed illis «Qui desiderant in omnibus, quantum possunt, proficere,» ut habetur in vicesima adnotatione.

Merito hic quaeri posset utrum ex allatis principiis logice inferatur desiderandas atque eligendas VNICE esse illas creatas res, ex se indifferentes, quae MAGIS nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus? Et ratio est, quia desiderium efficax finis stare optime potest cum electione eorum mediorum, quae simpliciter ad finem conducunt, seu in re, de qua nunc agi-

mus, quae a fine minime avertunt. Licet ergo mediorum alia MAGIS quam alia ad finem perducant; modo finem consequar, prudenter agam, etiamsi non adhibeam illa media, quae ad eum MAGIS conducunt.

Mea quidem sententia haec doctrina ex illis principiis nec infertur, nec eam inferre voluit Beatus Pater: aliunde vero non minorem habet vim, quam si reapse ex illis deduceretur; id quod sufficit, ut statui possit tamquam primum in hac arte principium. Quum enim tota causa cur homo in mediorum electione, de qua nunc est sermo, non ea seligat, quae MAGIS ad finem conducunt, sit inordinata affectio ad id, quod naturae arridet, potius quam ad id, quod naturae adversatur; si quis actus «Desiderio proficiendi in omnibus quantum potest proficere,» auferat inordinatas affectiones huiusmodi, et constituatur in ea indifferentia erga paupertatem et divitias, erga honorem et ignominiam, et erga alia, quae ibi recenset Beatus Pater; eo ipso sponte sua feretur in ea unice media, quae MAGIS ad finem conducunt, modo prudenter agere velit.

Quae ut plenius intelligantur operae pretium me facturum existimo, si sensum explicem illorum verborum: «Quae MAGIS nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus.» Horum autem explicationem ex ipsis verbis petere curabo, quibus utitur Beatus Pater in aliis Exercitiorum locis, in quibus ad haec verba Fundamenti refertur. Nam *primo*, aliquando illa verba refert Ignatius ad finem in hac vita obtinendum. Ita enim in exercitio de Regno Christi offertur homo ad ferendas omnes iniurias etc., «Dummodo sit, inquit, MAIVS servitium tuum et [maior] laus tua.» Et tertius binarius «Vult solum velle illam [rem] prout... MELIVS videbitur ad servitium et laudem divinae suae Maiestatis.» Item in puncto sexto primi modi electionis of-

fertur electio confecta, ut «Divina sua Maiestas velit illam recipere et confirmare, si MAIVS eiusdem servitium et laus fuerit.» *Secundo*, aliquando vero coniungit Dei laudem seu gloriam cum animae perfectione: sic in secunda regula posterioris modi eligendi: «Considerare, inquit, quid ego illi dicerem faciendum et eligendum ad MAIOREM gloriam Dei Domini nostri et MAIOREM perfectionem animae suae.» *Tertio*, alias finem, in hac vita appetendum, cum fine, consequendo in futura, coniungit: ut patet, primo, in tertio praeludio exercitii de Binariis: «Postulare, inquit, gratiam ad eligendum id, quod MAGIS sit ad gloriam suae divinae Maiestatis et salutem animae meae:» secundo, in primo electionis modo, secundo puncto: «Sequendum, ait, quod sensero esse MAGIS in gloriam et laudem Dei Domini nostri et salvationem animae meae.»

Quarto denique, quum illud sit verum servitium, per quod Domini voluntati obtemperatur; nonnumquam exprimit maius illud servitium, a nobis Deo in hac vita praestandum, per ipsam divinae voluntatis exsequutionem. Ita in oblatione facienda sub fine exercitii de Regno Christi, «Si Maiestas, inquit, tua sanctissima VOLVERIT me eligere ac recipere ad talem vitam et statum.» Et idem fere habetur in colloquio exercitii de duobus Vexillis: «Si divinae suae Maiestati PLACVERIT, et me eligere ac recipere VOLVERIT.»

Idem ergo est «Magis conducere ad finem, ob quem creati sumus», ac «maius esse servitium, maiorem laudem, maiorem gloriam Dei, et maiorem salutem seu salvationem animae» aut simpliciter illud esse Dei voluntatem ac beneplacitum.» Vnde obiter intelligitur idem etiam esse «parem aut aequalem Dei gloriam,» de qua in tertio Binario, ac voluntatem divinam ad neutrum extremorum eligendorum inclinantem agno-

scere, post debitam, ut supponitur, adhibitam diligentiam ad illam Dei voluntatem cognoscendam.

Vt autem ad propositum redeamus, patet maius hoc divinum servitium, maiorem Dei laudem, seu, quod idem esse diximus, divinam illam voluntatem de eligendo inter res indifferentes, non contineri in principiis a Beato Patre in Fundamento allegatis; quia haec voluntas divina refertur ad consilia et ad animae perfectionem in hac vita, et ad maiorem gloriae gradum in futura; principia vero illa ostendunt voluntatem Dei praecipientem ac prohibentem relate ad non amissionem ultimi finis. Neque Beatus Pater illud desiderium et eligendi voluntatem inferre voluit ex allatis principiis: non enim usus est particulis illativis «Vnde» aut «Quapropter», quibus antea usus fuerat ad inferendum primum ac secundum consectarium; sed tantum secundo corollario mere ac simpliciter coniunxit illa verba: «Vnice desiderantes et eligentes ea, quae magis nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus.» Ideoque videtur addidisse, ut significaret indifferentiam, quam ibi postulat, non consistere negative in mera inertia atque apathia; sed positive includere ardens recte operandi voluntatisque divinae adimplendae desiderium; quod tamen coercetur ac veluti fraenatur, donec ipsa divina voluntas perspicue innotescat.

Id tamen assero sufficere ad statuendum illud desiderium, illamque eligendi voluntatem seu propositum tamquam primum suae artis principium. Ostenditur id ex animi dispositione, quam exigit in eo, qui Exercitia est facturus. Nam in quinta adnotatione «Illi, ait, qui accipit Exercitia, valde prodest, intrare in illa animo magno et cum liberalitate erga Creatorem ac Dominum suum, omne suum velle et libertatem [suam] illi offerendo, ut divina eius Maiestas, tam de se, quam de

omnibus, quae habet, disponat iuxta sanctissimam suam voluntatem.» In decima octava autem adnotatione ab integris Exercitiis excludit, neque ultra primam hebdomadam progredi eum permittit, «Qui [tantum] se iuvare vult ut instruatur, et ut perveniat ad certum gradum contentam reddendi animam suam.» Cupidos ergo quaerit divinae voluntatis cognoscendae ac sequendae, cisque tradenda Exercitia docet, qui praeter hanc voluntatem animum magnum gerunt ad omnem perfectionem amplectendam, si ad eam se vocari sentiant.

Ex omnibus, quae in hoc capite disseruimus, illud elucet, hoc esse primum Ignatianae artis de perfectione obtinenda principium: oportere ut homo erga res omnes creatas non prohibitas, sed humanae libertati permissas, indifferentem se faciat, et unice desideret atque eligat ea, quae magis conducunt ad finem, ob quem creatus est, consequendum. Et quoniam hinc quidem, inordinatae affectiones illi omnimodae indifferentiae unice adversantur; inde vero ea magis conducunt ad finem, ob quem creatus homo est, quae Deus vult ut homo eligat et operetur, ad gradum illum perfectionis, ad quem a Deo destinatur, in his terris, et gloriae in caelis, adipiscendum; sequitur id, quod habetur in Exercitiorum definitione, tollendas esse male ordinatas affectiones, ut divinam voluntatem quaeramus atque inveniamus, ut, nimirum, inventam agnitamque adimpleamus. Vt autem homo ad illas inordinatas affectiones penitus tollendas se praeparet ac disponat, exercetur ab Ignatio. Et quomodo disponitur? Respondeo: sedulo perpendendo quamdam veritatum seriem ab Ignatio ordinatam, quibus homo persuadetur pugnandum sibi esse contra inordinatas suas affectiones: deinde desideria et proposita, eaque efficacissima,

ex consideratis veritatibus concipiendo, quae divino fretus auxilio, per crebras instantesque preces expetito et impetrato, homo ad actum reapse reducit.

CAPVT IV

DE PRIMA HEBDOMADA, DEQVE PRIMO EIVSDEM EXERCITIO

Iuxta triplicem gradum accedentium ad Exercitia ab Ignatio in Constitutionibus allatum et quinque illis hominum generibus respondentem, quae in tribus postremis adnotationibus distinxit, triplex esse potest finis, qui in prima Exercitiorum hebdomada intendi potest. *Primus* est, ut quis «Instruatur et ut perveniat usque ad certum gradum contentam reddendi animam suam,» ut ait Beatus Pater in decima octava adnotatione. *Secundus* est certus quidam spiritualis fructus, subiecti parvae capacitati accommodatus, ultra quem procedere non valet; ac proinde satis erit «Vt se in eo conservet, quod adeptus est,» ut ibidem dicitur. *Tertius* est specialis quidam fructus, qui ex omnibus primae hebdomadae exercitationibus, eo quo procedunt ordine peractis, obtineri potest, et eiusmodi est, ut non in eo tamquam in fine conquiescere seu se conservare quis debeat, sed ut initium longissimi itineris ab eo conficiendi, existimandus sit, ut patet ex collatione primae huius hebdomadae cum reliquis tribus, quarum illa est necessarium fundamentum, et in quibus tota evangelica perfectio continetur.

Ad triplicem hunc finem, pro personarum diversitate, consequendum, exercitationes primae hebdomadae diriguntur: earum vero aliae sunt omni gradui communes, aliae singulorum propriae. Communes quidem omnibus sunt duplex ibi traditum examen, et sacramenta-

lis peccatorum confessio. Propria autem primi generis illa est, quae vocatur «Primus orandi modus;» secundi vero propria sunt exercitia huius hebdomadae primae, quae a Beato Patre «levia» nuncupantur; tertii demum, omnia huius hebdomadae exercitia «eo, quo procedunt ordine,» eique, «Qui desiderat in omnibus, quantum potest, proficere,» ita applicata, ut reapse in eis proficiat iuxta suum desiderium illo modo proficiendi: quae proinde exercitia, levibus illis, quae propria secundi generis diximus, opposita, vocanda sunt «gravia.»

Quod autem ad duplex prius genus attinet, exercitationes eis praescriptae eo collineant, ut illi peccatorum confessionem recte instituant, et seriam proponant admissorum in posterum emendationem. Examine namque generali admissa peccata cognoscunt et dolent. Per primum orandi modum primum genus eadem distinctius agnoscit; secundum vero genus per levia exercitia acrius dolorem excitat; per particulare denique examen consulit genus utrumque propositorum efficacitati seriaeque in posterum emendationi: cui quidem fructui consequendo commendatur frequentior deinceps ad poenitentiae eucharistiaeque sacramenta accessio. Et haec de duplici hoc genere dicta sufficiant: Exercitia enim «eo, quo procedunt, ordine» tractanda suscepi. Vtriusque vero examinis expositionem consulto praetermittendam censeo, tum quod facillima captu est huiusmodi doctrina in libello Exercitiorum, tum quod totam hanc materiam pro amplissima eius latitudine fusius expositam habet P. Ludovicus Palmensis in aureo suo libello, quem nuper typis iterum excudendum curavimus.

Ad exercitia ergo primae hebdomadae transeamus, iis proponenda, «Qui desiderant in omnibus, quantum possunt, proficere,» quibus proinde tradenda sunt «Omnia Exercitia Spiritualia eodem ordine, quo proce-

dunt.» In hac igitur hebdomada prima Beatus Pater ei, qui Exercitia aggreditur, proponit primo loco peccati poenas in tribus peccatoribus considerandas; deinde peccati foeditatem et malitiam, quibus anima deturpata est et in mala innumera se praecipitavit; tertio denique aeternos cruciatus, quibus peccatum punitur, sensu percipiendos obiicit.

Quod autem ad primum exercitium attinet, quod ipse appellat «Exercitium circa primum, secundum, ac tertium peccatum,» quatuor fructus ex eo Beatus Pater eliciendos curat. Primvs est pudor et confusio mei ipsius, ut habetur in secundo praeambulo seu petitione: «Petere, inquit pudorem et confusionem mei ipsius, quum videam quam multi damnati fuerint ob unum peccatum mortale, et quam saepe ego meruerim damnari in aeternum ob tam multa peccata mea.» Quae sane causa est erubescendi efficacissima, eamque in primo puncto denuo commemorat, aiens: «Volendo totum illud memorari et intelligere ut magis erubescam et confundar.»

Secvndvs est superbiae vires conterere. Nam in peccato angelorum considerare iubet «Quomodo quum essent ipsi creati in gratia, nolentes se adiuvare ope suae libertatis ad exhibendam reverentiam et obedientiam suo Creatori ac Domino, devenientes in svperbiam conversi fuerint ex gratia in malitiam, et de caelo ad infernum praecipitati.»

Tertivs est concupiscentiae carnis letale, ut ita dicam, vulnus infligere. Nam in secundo puncto recogitandum proponit protoparentum peccatum ex inordinata illa voluptatis concupiscentia, qua «Quum prohibiti essent ne de fructu arboris scientiae comederent, et ipsi comedentes, et ita peccantes» etc. Ex qua divini praecepti transgressione, non modo confusione ac pudore repleti

sunt, ut vestiendi essent tunicis pelliceis ad cooperiendam nuditatem; sed praeterea, e paradiso expulsi fuerunt, sine originali iustitia, quam perdiderant, vixere, ac reliquum vitae suae tempus in laboribus et aerumnis maximis ingentique poenitentia traxerunt. Quod autem magis est lugendum, pestilentissima corruptio universum genus humanum invasit, pluraque hominum millia ad inferos deturbati sunt. Quanta strages ob decerptam unam, eamque levissimam, voluptatulam, divino praecepto vetitam! Quid igitur ego ob tot mea peccata promerui?

Qvartvs est efficax gratitudinis affectus in Deum et hominem Christum Iesum. Ad quem quidem affectum excitandum, miranda usus est arte Beatus Pater. Primo namque considerandam proponit peccantis ingratitudinem; deinde vero immensa a Redemptore in me collata beneficia. Ingratitudinem igitur peccatoris in primo puncto obiicit, quando in memoriam revocat, noluisse angelos Deo reverentiam obedientiamque exhibere tum quum recens creati essent nobilissimae creaturarum quoad naturam, et ad supernaturalem ac divinum ordinem elevati. «Quum essent ipsi creati» et quod est infinite magis «creati in gratia.» In secundo autem puncto peccantes protoparentes adducit, «Postquam Adam creatus esset in campo Damasceno et positus in paradiso terrestri, et Eva formata esset de eius costa.» De elevatione autem ad statum supernaturalem illico meminit, quando ait: «E paradiso expulsi vixerunt sine IVSTITIA ORIGINALI, quam perdiderant.» Ex huiusmodi ingratitudinis cognitione non parum foventur pudor et confusio, seu primus ex hoc exercitio fructus elicien-dus; ex quo sane pudore et confusione disponitur animus ad ciendos grati erga Christum animi sensus, qui in colloquio excitandi sunt.

Quo vero is, qui exercetur, acrius afficiatur, neve minori se in culpa esse putet, quam angeli et protoparentes, quibus tot illa ac tanta beneficia collata fuerant, duo facit Ignatius. Primo enim facere iubet comparationem unius tantum peccati angelorum ac protoparentum cum tot meis peccatis. Deinde exhibet in tertio puncto hominem, non quidem angelum, neque protoparentem, sed hominem quemvis, «Qui ob unum peccatum mortale ivit in infernum,» additque: «Et multi alii sine numero [damnati] ob pauciora peccata, quam [quae] ego feci.» Itemque memoria versare praecipit «Gravitatem et malitiam peccati contra suum Creatorem ac Dominum,» et «Discurrere intellectu, quomodo in peccando et agendo contra Bonitatem infinitam [homo talis] iuste fuerit condemnatus in aeternum.» Atqui ego non semel, sed pluries quam multi, qui in inferis iam cruciantur et in aeternum cruciabuntur, Deum peccando offendi; ego, qui etiam ad supernaturalem statum nullis meis meritis per Baptismum regeneratus fui; ego, qui saepe amissam peccando gratiam per sacramentalem Poenitentiam recuperavi: multo igitur illis ingratior in Deum fui; pluries quam illi sempiternos carceres promerui, ibique acrius quam illi cruciandus fui.

Homini igitur, qui tam gravissimorum tormentorum rcum se agnoscit, quique miratur, quod, aliis adeo multis ob pauciora peccata in aeternum damnatis, ipse non solum aeternis suppliciis addictus non sit, sed ad poenitentiam revocetur, obiicitur Christus Dominus, verus Deus et homo, praesens et coram peccatore adstans, cruci affixus; qui «Creator quum esset, hominem se fecerit, et ab aeterna vita [venerit] ad mortem temporalem, et ita ad moriendum pro meis peccatis.» Quisnam, haec si serio cogitet, in vehementissimos amo-

ris et gratitudinis in tam beneficum Redemptorem affectus non erumpat? Maxime si in se conversus, inquirat quid hactenus egerit pro Christo? Contra Christum plurima sane; pro Christo autem parum vel nihil. Quid vero nunc agit? Fortasse vel secessionis eum et exercitiorum ipsorum iam taedere incipit, fortasse additionum custodiam grave reputat onus. Quis igitur non erubescat? Quis non erigatur, et ad ardua pro Christo agenda ac perpetienda non se accingat? Quid igitur pro Christo agere debeo?

Mea quidem sententia hic est praecipuus fructus ex hoc primo exercitio capiendus, in quo, tamquam in semine, aliarum hebdomadum subsequentium fructus continentur: quapropter vel ex hoc ipso, non grave modo exercitium, sed gravissimum censendum est. Nisi enim adamantinum pectus gerat homo, ut supponitur non gerere, non dicam multa et ardua volvenda ei esse, quae pro tam benefico Redemptore aggrediatur, sed vehementi quodam animi affectu ad omnia pro eo agenda, ad omnia in genere toleranda, sese offerre pro Christo debere. Homini ergo ita affecto, et in hac animi dispositione per subsequentia huius primae hebdomadis exercitia corroborato, proponatur in exercitio de Regno Christi tertium prioris partis punctum: «Quid debeant respondere boni subditi Regi tam liberali ac tam humano: et per consequens, si quis non acceptaret petitionem talis Regis, quantopere dignus esset, qui vituperaretur ab universo mundo, et perversus haberetur eques.» Fierine moraliter potest, ut talem petitionem recusare vir huiusmodi audeat, qui nunc pudore suffusus, suam in posterum ignominiam prorsus delere cupiat? Fierine potest, ut unus non sit ex illis. «Qui magis affici volent, et insignes se exhibere in omni servitio sui Regis aeterni ac Domini universalis, non solum of-

ferendo se totos ad laborem, sed etiam agendo contra suam propriam sensualitatem» etc.? Quum autem tota hebdomada secunda non sit nisi latior propositi heic concepti explicatio; patet quomodo Beatus Pater in colloquio primi huius exercitii animum sese exercentis disponat ad totam hebdomadam secundam.

In tertia vero hebdomada, sextum omnium contemplationum punctum, quid aliud est nisi epilogus totius huius colloquii? «Considerare, inquit, quomodo haec omnia patitur pro meis peccatis, etc.: et quid debeo ego facere et pati pro illo.» Vt autem apertius pateat connexio inter hoc colloquium et illam tertiam hebdomadam, in petitione primae contemplationis tertiae hebdomadis iubemur non dolorem modo petere, sed etiam «CONFVSIONEM, quod ob mea peccata Dominus eat ad Passionem.»

Postremo, in primo puncto contemplationis ad amorem obtinendum, ad absolutam suimet ipsius oblationem liberaliter eliciendam, mirandum in modum conferet haec saepius iterata quaestio: «Quid pro Christo agere debeam,» ut legenti patet.

Quamobrem non immerito diceres universa proposita in Exercitiis concipienda nihil tandem aliud esse, quam determinationem ad casus particulares propositi in hoc colloquio tamquam in radice aut semine contenti, videlicet, ex omnibus, quae Christus poscere a me possit, nihil esse quod ego agere non debeam. En quanti sit momenti, huiusmodi colloquium accurate perficere, iterum ac saepius per totam primam hebdomadam repetere, maxime quando sese exercens nondum suspicatur totam eius extensionem, ac proinde minorem experietur difficultatem in proposito non solum concipiendo, sed etiam confirmando. Quod si postea, quando ad res magis particulares in illo contentas veniatur, exsur-

gant difficultates, tunc nova iam aderunt argumenta, quibus ad eas superandas adiuvetur.

Quaerat fortasse aliquis, quare, quum huiusmodi propositum, tam gravis momenti esse videatur, tamen Beatus Pater semel dumtaxat in prima hebdomada eiusdem mentionem fecerit. Respondeo, non esse quod saepius de eo meminerit in prima hebdomada, quum illud tam diserte in secunda ac tertia esset allaturus. Praeterea, quemadmodum in undecima Adnotatione docet prodesse «Ei, qui accipit Exercitia, in prima hebdomada, ut nihil sciat eorum, quae facturus est in secunda hebdomada, etc.» et postea in hebdomada secunda praescribit, ne quid legatur ex mysteriis, quae nondum contemplanda sunt; ita e converso dum in secunda et tertia hebdomada mutandam scribit sextam additionem, recolenda docet exercitia iam peracta. In secunda namque hebdomada, «Sexta, inquit, erit, frequenter in memoriam reducere vitam et mysteria Christi Domini nostri, incipiendo ab eius Incarnatione usque ad locum seu mysterium, in cuius contemplatione versor.» Et in tertia hebdomada: «Sexta, ait, mutabitur.... trahendo mihi in memoriam frequenter aerumnas, labores, et dolores Christi Domini nostri, quos pertulit a puncto, quo natus est, usque ad mysterium Passionis, in quo nunc versor.» Ex quibus patet, velle Beatum Patrem, ut quae iam meditati sumus, in memoriam iterum iterumque revocemus, quoties eorum recordatio, nedum obesse, prodesse possit statui praesenti eius, qui se exercet. Quum ergo quaestio illa non modo in prima hebdomada, sed in reliquis etiam tribus, magno sese exercenti sit adiumento, iuxta eiusdem Ignatii mentem saepius iteranda est.

Illud non est hic praetermittendum, Sanctum Patrem in suis Exercitiis, absoluti sollertissimique orato-

ris partes adimplere. Solent enim oratores, qui rem arduam et auditorum ingenio repugnantem persuadere volunt, non illico totam rei difficultatem aperire, sed aliquid aliud facile et minus repugnans illis initio proponere: ea vero inter dicendum afferunt argumenta, quae utrumque convincant: postquam autem argumenta tractaverint, quasi eius vi ac robore rapti, sese effundunt in illos affectus in auditorum animis excitandos, quos ipsi revera existimant praecipuos, donec auditores illos conceperint. Ita Ignatius solet in secundo aut tertio praeludio finem proponere in exercitio obtinendum; at in colloquio ulterius progreditur nonnumquam, remque multo difficiliorem extorquere nititur, quam in praeludio postulare fecerat: ut patet in colloquio, de quo nunc agimus, et apertius adhuc patebit in colloquiis tertii et quarti exercitii.

Idque hic perfecit arte profecto mirabili. Quid enim iucundius erubescenti homini ob tot admissa scelera et tantis temporalibus aeternisque poenis dignissima, quam in aestu fervoris exhibere «Christum Dominum praesentem, et in cruce positum,» et per suave cum eo colloquium ponderare «Quomodo Creator quum esset, eo devenerit, ut hominem se fecerit, et ab aeterna vita [venerit] ad mortem temporalem, et ita ad moriendum pro meis peccatis?» Quis potest ardentes gratitudinis sensus in tam beneficum Dominum non experiri? At quod acrius ruborem et confusionem excitat, est illud: «Quid egerim ego pro Christo?» Quam parum, quam nihil! Immo quanta et qualia contra Christum egi, de quibus nunc erubesco! Quid vero nunc ago? Quid tandem agere debeo pro Christo? Num ad peccatum redire? Nonne potius, quantum valeam, per poenitentiam delere, et magnum aliquod arduumque facinus ob eius amorem et grati in illum animi significationem aggre-

di? En quam suaviter simul et efficaciter excellentissimum propositum ex eo extorquet, cui dumtaxat pudorem et confusionem de peccatis proposuisse videbatur!

CAPVT V

DE SECVNDO PRIMAE HEBDOMADIS EXERCITIO

In primo exercitio considerata sunt aliena peccata, numero quidem pauciora, gravissimis tamen meritisque poenis vindicata; in hoc secundo exercitio considerandа sunt peccata propria, plura numero et acriter dolenda, ne videlicet puniantur. Ibi praeterea peccati gravitas et malitia spectabatur quatenus est actus divinae auctoritati bonitative infinitae contrarius: peccatum enim angelorum in eo consistere dictum est, quod noluerunt «Se adiuvare ope suae libertatis ad exhibendam reverentiam et OBEDIENTIAM suo Creatori ac Domino.» Protoparentes autem inde peccaverunt, quod «Quum PROHIBITI essent ne de fructu arboris scientiae comederent,» comederunt tamen; in tertio denique puncto iubebamur «Discurrere intellectu, quomodo in peccando et AGENDO CONTRA BONITATEM infinitam, [homo talis] iuste fuerit condemnatus in aeternum». Hic vero in secundo exercitio perscrutanda proponitur peccati tum foeditas tum malitia in seipso spectati, «Etiamsi non esset prohibitum,» ut habetur in secundo puncto.

Fructus ex hoc secundo exercitio capiendi, ad quinque potissimum revocantur. Primus est «Magnus et intensus dolor et lacrymae de meis peccatis», ut in petitione seu praeambulo secundo postulare iubemur. Magnus, inquam, dolor; hispanice *crecido dolor*, quasi nempe crescendo magnus fiat, iuxta Patrem Roothaan; itemque intensus, qui in ingentem lacrymarum vim

erumpat. Secundus est divinae misericordiae imploratio. Tertius, affectus gratitudinis erga clementissimum Deum. Quartus, emendationis propositum, ex intenso animi praeconcepto dolore profluens. Qui videlicet triplex fructus in colloquio exprimitur. «Concludere, inquit, colloquio MISERICORDIAE, ratiocinando (hispanice *razonando*), et GRATIAS AGENDO Deo Domino nostro, quod mihi dederit vitam usque adhuc, PROPONENDO in posterum EMENDATIONEM cum eius gratia.»

Quintus denique fructus est suimet ipsius cognitio, radix humilitatis et fundamentum totius viae ac profectus spiritualis. Quam vero praecipuus sit huiusmodi fructus, vel ex ipso apparatu, ex gravissimis argumentis et ex vividis comparationibus, quibus utitur Ignatius in punctorum propositione, intelligi potest. Praemisso namque quodam veluti admissorum peccatorum processu in primo puncto, ut eorum numerus ac species, saltem in confuso, prae oculis habeantur, singulorum scelerum primo quidem foeditatem ponderare praecipit, unde horrescat intellectus; deinde vero malitiam, ut eam voluntas detestetur. Eamque foeditatem ac nequitiam considerare ac ponderare iubet, quam peccatum in seipso habet, seclusa etiam divinae legis transgressione, quam necessario includit; eo videlicet fine, ut intelligat peccator ipsum peccandi actum esse turpissimum monstrum atque nequissimum. Quae sane turpissima deformitas ac malitia luculentius statim ostenditur ex ipsa hominis exiguitate et vilitate, seu ex eius quantitate et qualitate.

Quantus enim et qualis est homo, qui tam turpe, tam indecorum, tam nequam facinus toties patravit? In tertio puncto, per crebras comparationes, convincitur esse aliquid adeo exiguum, adeo deminutum, ut rectius id esse purum nihil, quam minimum aliquid,

dixeris. Neque vero dici «nihil» potest, quia ea omnia tam foeda omnisque nequitiae plena operatus est, quae in primo puncto consideravit. Hoc igitur nihil, tantorum malorum fontem, cerne obvolutum corpore, inclusum carcere corporeo : quo nimirum ex corpore continenter erumpit foedissima corruptio, per aures, per nasum, per os, per poros omnes, ut nullum sit sterquilinium, omni immunditia scatens, quod possit cum hoc humano corpore conferri. Quare ut paucis describas peccatorem, recte eum dicas esse «Vlcus quoddam et apostema, unde nihil aliud quam peccata, et nequitiae, ac turpissimum venenum pullulat.» En, homuncio, quantus sis et qualis! En vera tui effigies : in corpore, foedissima putredo ; in animo, fons omnis turpitudinis ac nequitiae : in tota persona, utriusque complexu, ulcus quoddam et apostema, in quantitate quidem paene nihil, in qualitate vero exundans fons turpissimi veneni. Hanc sane suimet cognitionem hauserat Conimbricensis ille frater [1], qui supremo in haereticos iudici quaerenti quaenam illa essent visa, quae in Exercitiis se vidisse aiebat: «Memetipsum, inquit, vidi, quem numquam antea probe noveram, tetrum sane monstrum, et cuius simile numquam vidi.»

Quasi vero parum id sit, iubemur in quarto puncto foetidum huiusmodi ulcus, apostema, et fontem tam turpissimi veneni, conferre cum infinita universae perfectionis plenitudine, cum ipso, inquam, Deo, considerando «Quis sit Deus, contra quem peccavi, secundum eius attributa, comparando ea cum eorum contrariis [quae sunt] in me: eius sapientiam cum mea ignorantia, eius omnipotentiam cum mea debilitate, eius iustitiam cum mea iniquitate, et eius bonitatem cum mea

1 Orlandini, Hist. Soc. Iesu, Lib. V, n. 53.

malitia.» Cuius oculorum aciem vel subtilissimam non effugiat illa summe exigua peccatoris substantia ante plenitudinem totius esse infinitam? Quae praeterea maior oppositio cogitari valeat, quam haec, quae cernitur inter foedissimam illam atomum, ignorantiae tenebris circumfusam, et fulgidissimum divinae scientiae splendorem; inter infinitam meam tum ad omne bonum agendum impotentiam, tum ad omne malum aggrediendum perficiendumque inclinationem, caecumque et effraenatum impetum, et absolutam Dei tum ad omne malum agendum impotentiam, tum ad bonum omne faciendum virtutem infinitam? Et ita porro alia divina attributa persequi eum, qui se exercet, data opera et lenta consideratione expediret.

Si cui Deus tantillum caelestis luminis ad haec penitus intelligenda largiatur, quamnam, quaeso, de se ipse habebit existimationem? Fingamus in portu aliquo congregatas universas omnium nationum classes, congregatos in littore universos regum omnium exercitus; conversa omnia tum maritimarum tum terrestrium copiarum arma et bellica tormenta in unum locum, ubi informis puerulus, sordida veste indutus, vultu procacissimo invehit in imperatorem, omni probro, omni contumelia eum universasque copias verbo et gestu provocat: quisnam militum, tantum probrum, tantam contumeliam ferat? quis se contineat? Prohibet tamen benignus imperator, ne quis in petulantem et insanum puerum irruat, ne quis trucidet; immo vero iubet ut omnes defendant, ut tueantur, ut ei inserviant ac ministrent. En imago peccatoris actu Deum offendentis. Quum ergo me in petulante illo puero descriptum videam, quum meam insaniam nunc agnoscam, quid iam mihi reliquum est, nisi ut exclamem in quinto puncto «Admirative (id est, admiratione stu-

pens), cum ingenti affectu, discurrendo per omnes creaturas, quomodo me passae sint vivere, et in vita conservaverint: Angeli, quum sint gladius divinae iustitiae, quomodo me supportaverint et custodierint, et oraverint pro me: Sancti, quomodo in eo fuerint, ut intercederent et orarent pro me; et caeli, sol, luna, stellae et elementa, fructus, aves, pisces et animalia, [quomodo haec omnia mihi serviverint, et non potius armata contra me insurrexerint]; et terra, quomodo non se aperuerit, ut me absorberet, creando novos infernos, ut in aeternum in illis cruciarer.»

Gravissima sunt ista, et eiusmodi, ut non dicam omnem superbiam, sed universas superbiae stirpes, radicitus evellant: timendumque profecto esset, ne qui ea attente consideret, tanto malorum pondere prorsus obrueretur, nisi fiducia in Christum ex primo exercitio munitus accederet, et illico nunc in colloquio iterum in sinum infinitae Dei misericordiae induceretur.

Pretiosissimum hunc fructum hauserat Sanctus ille [1],

1 Stus. Alphonsus Rodriguez. Obras Espirituales, Vol. III, pag. 791. «Reprenderte has cada día de esta manera, entrando dentro de tí, y mirándote allá dentro toda tu mala vida, é injuriándote, dirás: ¡O viejo malo, lleno de pecados y gran bellaco, hediondo y abominable! ¿Cómo pareces entre gentes, siendo tan malo? ¿Cómo no te sorbe la tierra, y te traga el infierno? ¿Cómo no te persiguen todas las criaturas del infierno y de la tierra, siendo tú tan malo y bellaco? ¿Cómo no lloras de noche y de día tu mala vida? ¡O ignorante y grosero pecador, todo lleno de vilezas y abominaciones, y abismo de todo mal! ¿Cómo no tienes asco de tí mismo, pues eres tan hediondo y abominable? ¿Cómo te puedes sufrir á tí mismo, y cómo te sufren las criaturas, pues has ofendido tantas veces á tu Dios? Quiérete mal, aborrécete, pues eres tan malo y abominable. Persigue á una criatura tan mala y abominable como tú. Castígate, y déjate pisar y hollar como el lodo de las plazas, o grandísimo bellaco y perverso, digno

qui se quotidie reprehendebat et exprobrabat his verbis: «O improbe vetule, peccatis scatens, summe nequam, foetide atque abominande! Quomodo coram hominibus adstas, tam sceleratus quum sis? Quomodo te non tellus sorbet, non vorat infernus? Quomodo universae terrarum orbis inferorumque creaturae tam pravum te tamque nequam non insectantur? Quomodo male actam tuam vitam die ac nocte non defles? O rudis peccator et inculte, sordium abominationumque plenissime, abysse universi mali! Quomodo non te nauseas, qui tam foetidus tamque es abominabilis? Quomodo te ipsum ferre vales, quomodo te ferunt creaturae, qui tam saepe Deum offendisti? Omni te malo afflige, omni odio prosequere, tam enim improbus atque abominabilis es. Persequere tam improbam creaturam, qualis es tu. Castiga te: sine te, nequissime ac perverse, omnique punitione digne, tamquam lutum platearum, pedibus omnium teri et conculcari. Siste te coram Deo, acriter erubescens, atque ad eius pedes provolutus, oculos levare non audens, dic: «Peccavi in caelum et coram te: non sum dignus vocari filius tuus.»

«Concludere, inquit Beatus Pater, colloquio misericordiae, ratiocinando et gratias agendo Deo Domino nostro, quod mihi dederit vitam usque adhuc, proponendo in posterum emendationem cum eius gratia.» Agnoscit Ignatius indigere peccatorem suavi misericordiae oleo post acerbissimum ante actae meditationis acetum. Non iubet hic ut cogitemus quid agendum pro Christo, (ut in primo exercitio). Quid enim agat, qui se nihilum agnoscit, qui infirmissimum, qui ad omne bo-

de todo castigo. Ponte con gran vergüenza delante de tu Dios, postrado á sus pies, no osando alzar los ojos, y dile: *Peccavi in caelum et coram te: non sum dignus vocari filius tuus.*»

num impotentem, ad omne malum furiosa quadam inclinatione propensissimum? Illud unum postulat, ut fretus, non suis certe viribus, sed auxilio divinae gratiae, emendationem in posterum promittat. Quam vero emendationem? Eam videlicet, quae cognitioni gravissimae et infinitae peccati malitiae respondeat.

Totum hoc secundum exercitium, mea quidem sententia, grave censendum est. Nam praeter processum in primo puncto instituendum, reliqua eiusmodi sunt, ut illiteratus homo minime capiat; et qui non desideret, quantum potest, proficere, vix ferat. Subtilis est distinctio inter peccati foeditatem et malitiam; subtilior vero distinctio peccati in se considerati, praecisa Dei prohibitione, et peccati quatenus divinam hanc prohibitionem coniunctam habet. Quae sane nisi plene capiantur, fieri nequit, ut sese exercens totam vim comparationis, in tertio et quarto puncto allatae, intelligat, eosque vehementissimos affectus concipiat, qui in ultimo puncto continentur.

In quo autem reponenda sit intrinseca peccati deformitas ac malitia, facile intelliges, si consideres ipsam actus deordinationem, inde ortam, quod inferior appetitus, quum servus sit, rationalem in servitutem redigat. Item, homo Dominum Deum sibi servum constituit, ut ipse per Isaiam [1] queritur, dicens: «Servire me fecisti in peccatis tuis.» Vtrumque ex dicendis in sequenti capite apertius intelligetur.

1 Is. XLIII, 24.

CAPVT VI

DE TERTIO ET QVARTO PRIMAE HEBDOMADIS EXERCITIO

Si grave censendum est praecedens exercitium, ut diximus, multo sane gravius habendum erit tertium et quartum, quod subsequitur: idque duplici potissimum de causa. Prior est, quia utrumque consistit in primi ac secundi exercitii repetitione, quae certe iam facta supponit exercitia repetenda. Altera repetitur ex colloquiorum, in his repetitionibus faciendorum, gravitate: eorum autem gravitas vel inde coniicitur, quod, primo, res postulandae designentur; secundo, quod numerus ipse colloquiorum defigatur; tertio, quod personae colloquendae, et ordo, quo adeundae sunt, statuantur. Iam vero, quaenam haec, quaeso, sunt, quae nonnisi multiplicatis intercessoribus, et quidem talibus ac tantis intercessoribus, videntur obtinenda? Magna reapse sunt, ut ex dicendis constabit; itemque humanae naturae valde ardua, et adeo aliunde homini perfectionis cupido necessaria, ut crebris postulationibus, ingentibus gemitibus, invicta constantia, donec obtineantur, efflagitanda sint.

Primum igitur, quod postulamus, est, «Vt internam cognitionem peccatorum meorum, ac detestationem illorum, sentiam.» Internam, inquam, cognitionem, eorum videlicet gravitatis, turpitudinis, nequitiae intimam persuasionem, qua ex persuasione voluntas in meorum scelerum odium ac detestationem rapiatur; et ea non modo voluntas detestetur, sed facultates omnes sensitivae internae, vel audito peccati nomine, totae contremiscant, et vel peccati umbram refugiant.

Secundum est, «Vt sentiam deordinationem opera-

tionum mearum, ut eam abhorrens, me emendem, meque ordinem.» Difficillima, neque parvi momenti, res hic tangitur: descenditur ad ipsas peccati radices, quibus profecto evulsis, non modo peccata penitus exstinguentur, sed solidissimae etiam et maxime fundamentales virtutes efflorescent, atque ad perfectam maturitatem adducentur. In quo namque tota mearum operationum deordinatio consistit? Facilis est responsio, si ea recolantur, quae in praecedenti exercitio contemplati sumus.

In primis enim, vidi in tertio secundi illius exercitii puncto, me esse purum putumque nihilum. Quum igitur nihil reapse sim, putavi me esse aliquid, aliquid magnum, prae caeteris hominibus excellens: ipsi Deo me adeo praestantem existimavi, ut in conflictu, ut ita dicam, duorum iurium, divini et mei, potius meum esse duxerim, divinumque postposuerim, illud toties conculcando, quoties ne quid meae existimationi voluptative detraherem, Deum peccando offendi. Quo sane quid potest magis deordinatum cogitari?

Deinde, vidi in tertio eodem puncto, nihil me esse aliud, quam foetidum ulcus et apostema, ex quo uberrima scelerum sanies et copiosissima vitiorum lues defluxerit. Quo itidem quid vilius, quid turpius, quid magis obscenum, et omni contemptu dignius? Et tamen huiusmodi quum sim, dignum me honore, dignum laude, dignum omni aestimatione reputavi; gloriam ab aliis hominibus quaesivi, accepi: laudantes me homines duxi veros amicos; non laudantes, putavi actos invidia; contemnentes non tuli, omni inimicitia et odio censui dignos. Atqui «Soli Deo honor et gloria,» clamat Apostolus: «Gloriam meam alteri non dabo,» dicit Dominus. Quid ergo magis inordinatum cogitari possit, quam honorem uni Deo debitum, vilissimo foetidissimoque ul-

ceri et apostemati, sanie mananti, tribuere? Finge, publicae venerationi Sanctissimo Sacramento exposito in cathedrali templo, accedere furiosum quemdam et nequissimum hominem, et auferre Sacramentum ex altari, ibique fidelium adorationi exponere octiduanum canis cadaver, vermibus ebulliens, pestilenti foetore ad nauseam provocans: quis tam sacrilegum scelus ferat, quis non irruat in insanum illum hominem? Eamdem secum deordinationem affert humanis actibus superbia.

Denique in quinto secundi exercitii puncto, vidit se peccator adeo omnis poenae reum, adeo omni punitione ac tormento dignissimum, ut miratus sit, quod singulae res creatae in ipsum non irruerent; immo magis adhuc stupuerit, quod eum tellus dehiscens non absorberet, et mille reseraret infernos, in quibus ille perpetuas daret poenas. Ipse vero, tantorum cruciatuum reus, diffluit in corporeas omnes, etiam a Deo vetitas, voluptates; neque molesti quidpiam ab hominibus, adversi quidquam a Deo, perpeti vult: quinimmo omnibus succensetur, qui vel nolentes molestiam ei minimam pariunt. Ex quibus omnibus infertur summa mearum operationum deordinatio.

Huiusmodi autem deordinationis agnitio, tamquam res maximi momenti, a Deo Patre per Christum Iesum, et a Christo Iesu per sanctissimam eius Matrem, obtinenda proponitur, non certe ut in ea sistam, sed ut ulterius progrediar, ut videlicet «Eam abhorrens, inquit Beatus Pater, me emendem, meque ordinem.» Quemadmodum igitur tota mearum operationum deordinatio in eo stat, quod ego pluris me aestimari cupiam, quam reapse aestimandus sim; plus honorari, quam sim honorandus; multoque magis blandiendum mihi esse existimem, quam merear; ita optima et una me emendandi ordinandique ratio ea est, ut in via veritatis ambu-

lem, iuxta illud: «Filii hominum, usquequo gravi corde? Vt quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium [1]? Vt autem per viam veritatis incedam, haec mihi serio statuenda sunt atque sectanda.

Primvm est, ut me persuadeam, non plus me esse, quam coram Deo reapse sum: unde sequitur, tanti memet ipsum aestimare me debere, quantus coram Deo sum; tanti me, et non pluris, ab aliis aestimari cupiendum mihi esse, quantus sum coram Deo. Stulti enim est et amentis, aestimare se regem, exempli causa, aut velle ab aliis regem aestimari, eum, qui reapse rex non sit. Quum igitur ego nihilum coram Deo sim; tamquam nihilum me reputare debeo, et tamquam nihilum ab aliis aestimari cupiendum mihi est. Secvndvm, ut me persuadeam, eum solum mereri me honorem eamque laudem, quam coram Deo mereor. Quum ergo coram Deo putridum sim ulcus et apostema, ex quo nonnisi peccatorum vitiorumque sanies effluat, contemnere me et contemni ab aliis optare debeo, prout foetidum ulcus meretur. Si quis vero me laudet, si quis me honore afficiat, dolendum mihi est, quod ille vel ex ignorantia id faciat, meque in periculum superbiendi coniiciat, vel mihi illudat, quasi qui atrum Aethiopem, candidum vocitet ac rubicundum: si quando autem contemnar, despiciar, exprobrer, gaudendum mihi est, quod vere de me sentiatur, et ego a superbiendi periculo liberer.

Tertivm, persuadere me debeo, nihil aliud me mereri, quam id, quod coram Deo ob mea peccata mereor. Quid autem coram Deo mereor, nisi ut creatae res omnes in me irruant, ut in me furentes invehant, ut me dilanient, ut me sorbeat tellus, novosque infernos pa-

1 Ps. IV, 3.

ret, ad ulciscendas iniurias Deo a me peccante illatas? Ergo maximus infensissimusque mei inimicus ego ipse esse debeo; et quot modis possim, me cruciare, tamquam omni odio dignum, curandum mihi est. Quod si caeteri me, scientes aut nescientes, persequantur, et ita adiuvent ad meum hostem, memet ipsum videlicet, affligendum; benefici in me amici officia adimplere censendi mihi sunt, magisque proinde diligendi. Ita sancti viri se gerebant: ita ad abyssum humilitatis descenderunt, quia in veritate ambulabant: humilitas enim nihil est aliud quam veritas.

En fructus pretiosissimus, qui ex primae hebdomadae exercitiis capiendus est, in quo stat solidissimum eximiae sanctitatis fundamentum; in quo niti debent verae illae solidaeque virtutes, quas Beatus Pater a suis filiis postulat. «Quare, ut optime in Directorio admonemur [1], huc omnia dirigere debet qui facit Exercitia, ut peccati malitiam, suamque abiectionem et vilitatem agnoscat, eamque ex animo intime sentiat.» Cur autem agnoscat et ex animo intime sentiat, nisi ut iuxta eam cognitionem ac sensum suam in posterum vitam ordinet, et ante actam, tot peccatis foedatam, in melius emendet?

Restat nunc, ut de tertia petitione, in hoc colloquio praescripta, aliquid dicamus. «Tertio, inquit, petere cognitionem mundi, ut illum abhorrens, mundana ac vana a me removeam.» Vt enim scribit Ioannes Apostolus, «Totus mundus in maligno positus est [2].» Mundus autem sunt mundani homines, qui honores ac voluptates non modo quaerunt ipsi, sed alios quaerere docent; qui ea aufugientes, ut per viam veritatis ince-

1 Cap. XI, n. 3.
2 1 Ioan. v, 19.

dant, tamquam stultos contemnunt; qui ventrem suum Deum habent; qui scandalis, verbis, exemplis parvulos et simplices ad aeternam perniciem adducunt. Intime est ergo cognoscendus mundus, detestanda eius malitia, cavenda vanitas, timenda prava exempla. Illis, qui iam mundo valedixerint, cavendum est, ne mundi amore iterum irretiti, ad mundanas sensim vanitates revertantur. Qui in mundo versatur, solidis se propositis praemuniet, et fortasse tam callidi tamque procacis hostis insidias pertimescens, facile concipiet proposita deserendi mundanarum procellarum fluctus, ut sese in tranquillo religiosae vitae portum recipiat.

Denique quoniam uberrimi sunt ac pretiosissimi fructus ex hac repetitione eliciendi, iubet Beatus Pater eamdem bis fieri, ut videlicet veritates, quae in ea recoluntur, altius menti defigantur, et robustiora proposita voluntas concipiat.

Dubitare quis posset utrum ea fuerit Beati Patris mens, ut ex prima hac hebdomada tam excellentes huiusmodi fructus hauriantur, in quibus contineri videtur tota illa perfectio, quae secundae ac tertiae hebdomadae et propria. Praesertim quum videamus nihil aliud ipsum petendum iubere in praeludio, in quo ponit petitionem, nisi «pudorem» quidem «et confusionem mei ipsius» in primo exercitio, in secundo autem «magnum et intensum dolorem et lacrymas de meis peccatis.»

Eam vero fuisse Ignatii mentem, patet, primo, ex illa distinctione exercitiorum in «levia» et gravia: quum enim levia praescribat illis, quibus finis exercitiorum est accurata peccatorum confessio, qualem supra dicebamus; hic vero fructus ad minimum sit «pudor et confusio,» «dolor et lacrymae de peccatis,» quae in petitione postulare iubemur: consequens est, ut ex fructu illo excellentissimo, quem in colloquio primi exercitii et in

utraque repetitione iubemur elicere, ipsa huius hebdomadis exercitia vocari possint ac debeant «gravia.» Praeterea, qui «In omnibus exercitiis desiderat, quantum potest, proficere,» ex singulis certe totum illum fructum haurire cupiet, quem illa reapse continent. Si ergo tam excellens cordis humilitas ex gravibus hisce exercitiis erui potest, cur non eruatur?

Neque obstat, nihilo hunc fructum secerni ab eo, qui in secunda, immo et tertia, hebdomada capiendus est. Nam etsi est idem fructus, tamen non eadem est causa. Heic enim referendus ille fructus est ex suimet ipsius cognitione; ibi autem ex Christi consideratione et imitatione; quae sane est multo nobilius motivum: et multo facilior Christi imitatio redditur ex affectu illo, in prima hebdomada iam excitato; qui certe affectus vicissim in secunda, ac praesertim in tertia, hebdomada summopere roboratur. Immo haec, ni fallor, prudentiam Beati Patris non obscure ostendunt, qui fructum in Exercitiis dificillimum adeo tueatur, ut finem praecipuum constituat trium hebdomadarum.

Legatur hac de re noster Palmensis in Via Spirituali, Libro II, capite XXI, ubi data opera ostendit, hanc suimet cognitionem omnium temporum omniumque statuum esse propriam, eamque diversis inniti motivis respectu incipientium, proficientium et perfectorum. «Incipientes enim, ait, in propriam sui miseriam oculos intendere oportet: idque in exercitio de peccatis contendit Beatus Pater, ubi inter alia, quae ad hunc sui despectum adipiscendum proponit, haec habet: «Quarto, inspicere omnem meam corruptionem et foeditatem corpoream...» Affert deinde quintum eiusdem exercitii punctum, et statim subiungit: «En profundum humilitatis fundamentum, super quod solidum robustarum perfectarumque virtutum aedificium exstruitur;

estque incipientium proprium, qui in via purgativa exercentur.» Quo sane nihil potuit dici apertius.

CAPVT VII

DE QVINTO PRIMAE HEBDOMADIS EXERCITIO

Quemadmodum in secundo exercitio Beatus Pater propria cuiusque peccata distincte ponderanda proponit, quae nonnisi confuse in exercitio primo in memoriam revocaverat; ita in postremo seu quinto huius hebdomadis exercitio aeternas peccati poenas, de quibus in primo ac secundo exercitio nonnisi in confuso mentionem fecerat, distincte perpendendas exhibet.

Fructus autem ex poenarum contemplatione eliciendus, triplex ab Ignatio affertur. Primvs est, aeternorum cruciatuum timor, ortus ex intima poenarum, quas damnati luunt, apprehensione. In secundo enim praeludio, «Poscere, inquit, intimum sensum poenae, quam patiuntur damnati, ut si [umquam] amoris Domini aeterni oblitus fuero ob meas culpas, saltem timor poenarum me iuvet, ne in peccatum deveniam.» Quibus in verbis tria animadvertenda sunt. *Primum* est, nonnisi in fine huius hebdomadae primae loquutum Beatum Patrem de timore fuisse. Timorem autem proponit, non quasi directe et propter se quaerendus sit, sed propter amorem; quatenus nimirum hinc quidem humana fragilitas ad amorem concipiendum nonnisi per timorem, aut saltem cum timore, vix inducitur; inde vero peccatum adeo grave malum est, adeo omni ope omnique cura vitandum, ut nullum medium eiusdem fugiendi omittendum sit. Hominem enim per Exercitia excolendum Ignatius ita generosum cupiebat, ut non servili, sed filii digno, timore, et rectius dixerim puris-

simo amore, ad malum detestandum et ad bonum amplectendum potissimum duceretur. Animadverte *deinde* discrimen inter culpam et peccatum. Culpas enim, plurali numero, causam affert Beatus Pater oblivionis divini amoris, qua ex oblivione in peccatum (numero singulari) devenimus: quasi dicat, voluntarios defectus ac negligentias, in quas saepe ex tepiditate et incuria delabimur, paulatim memoriam divini amoris in animo delere: unde facilis ad veniale peccatum, et per veniale ad mortale, admittendum via sternitur. Quapropter illa vitae ordinatio, de qua in tertio exercitio sermo erat, maximi profecto est facienda: secus in veniale peccatum, et tandem aliquando in mortale, incidemus. *Denique* animadverte, postulari hic non quidem cognitionem, sed intimum sensum (hispanice *interno sentimiento)* poenarum, quibus damnati cruciantur. Quamvis enim aeterni cruciatus discursu certe ac ratiocinatione etiam versandi sunt; attamen Beatus Pater in hoc quinto exercitio attingendas poenas proponit per sensuum, ut ipse vocat, applicationem; oculis nempe spectandas, manu tangendas, caeterisque interioribus sensibus percipiendas.

Vnde intelligitur SECVNDVS in hoc exercitio finis seu fructus ab Ignatio intentus potissimum esse, ut vires concupiscentiae carnis penitus frangantur; quemadmodum peccati gravitas, foeditas ac malitia nuper ponderata ad vitae superbiam deprimendam ordinabatur.

TERTIVS tandem, intensissimus gratitudinis affectus in Christum Dominum. Post haustas enim per interiorum sensuum applicationem aeternorum cruciatuum terribilitatem acerbitatemque, colloquium cum Christo instituendum proponitur, cuius materiam copiose ac distincte praebet Beatus Pater. Ea enim est, multitudo animarum, quae iam nunc sempiternis illis poenis excrucian-

tur. Earum autem animarum duplex distinguitur genus: alterum earum, quae fide in Redemptorem Christum caruere, ac proinde iuxta illam fidem operari non potuerunt, adeoque neque damnationem devitare seu supernaturalem beatitudinem consequi. Alterum vero earum, quae in Christum quidem credidere; iuxta vero hanc fidem, vitam suam instituere noluerunt, ideoque damnatae iustissime sunt. Porro utriusque generis triplicem affert speciem. Prima, earum, quae ante Christi Domini adventum vel non crediderunt, vel iuxta hanc fidem non vixere; secunda, earum, quae eo tempore vixerunt, quo versatus est in hoc mundo Christus; tertia tandem earum, quae post Christi in caelos ascensionem usque ad hodiernam diem in hoc mundo vitam degerunt.

Qua ex consideratione vehemens in me gratitudinis affectus erga Christum ciendus est, eo «Quod non siverit me incidere in ullam ex istis, finiendo vitam meam:» immo vero, quod multo est magis, «Quomodo usque adhuc semper me tanta pietate et misericordia prosequutus sit.» Quamobrem, maximae Christo gratiae agendae sunt, quot me prae tot hominibus specialiter dilexerit, quod tam singularia, tam innumera, tam omnis aestimationis digna beneficia mihi indignissimo contulerit, quum tamen ego eum saepissime offenderim.

Illud hic censeo non praetermittendum: quamvis exercitium hoc de peccati poenis proposuerit Ignatius per sensuum applicationem faciendum, et ad carnis concupiscentiam profligandam direxerit; posse tamen, ut fieri solet, per exercitationem etiam trium animae potentiarum perfici, eo prorsus modo, quo primum aut secundum exercitium peractum est; et dirigi praeterea ad expugnandam vitae superbiam, praesertim vero ad fructum illum pretiosissimum tuendum confirmandum-

que, quem in tertio et quarto exercitio obtinere conabamur. Ad quem quidem fructum non parum immo plurimum interest hoc exercitium. Nam ibi agnoscitur homo reus saepissime factus terribilissimarum, quae cogitari possunt, poenarum; ignominiae maioris certe, quam mente concipi possit, quum damnatum se agnoscat ad teterrimum foedissimumque carcerem, ad societatem scelestissimorum perditissimorumque hominum, qui in mundo exstiterunt, quin etiam saevissimorum crudelissimorumque tortorum, daemonum videlicet, qui per totam Dei aeternitatem in se excruciando intenti esse debuerant. Quibus sane tormentis quaenam, quaeso, aerumnae in hac vita perpetiendae sive ab aliis hominibus, sive ab ipsis daemonibus per molestas tentationes, sive a Deo per corporeos morbos spiritualesve tribulationes, conferri possunt? Nonne molestiae omnes, quae in hac vita obvenire poterunt, cum aeternis illis et non ferendis cruciatibus comparatae, non dico attenuantur, sed prorsus evanescunt?

Praeterea, summopere confert ad tollendas superbiae vires, si foetidum illud ulcus et apostema, quod intellexisti in secundo exercitio veram esse tui effigiem, geras perpetuo ob oculos tamquam inferorum carceri damnatum, in quo iamdiu detineretur, nisi infinita Domini misericordia, nullis tuis meritis, ex sola sui benignitate ac clementia, te tanto exitio eripuisset.

Ex hactenus dictis intelligitur discrimen inter levia et gravia primae hebdomadis exercitia. Levia enim dicuntur, quatenus per ea homo ad confessionem antea admissorum rite instituendam atque ad transigendam reliquam vitam a peccato immunem disponitur. Gravia vero appellantur, quatenus praeter hunc priorem fructum, ex cognitione quidem proprii nihili, propriaeque vilitatis ac nequitiae ad veram cordis humilitatem com-

parandam; ex gratitudine autem erga Christum Dominum, qui tot promeritis malis hominem eripuit, ad ardua pro Christo aggredienda ac toleranda praeparatur.

Summopere tandem animadvertendum est, qua arte Beatus Pater in tota hac prima hebdomada semper excitet fiduciam, spem, gratitudinem in Christum Deum, et numquam eum exhibeat iustum ac severum iudicem. In primo enim puncto exercitii primi angelos rebelles non a Deo irato in infernum proiectos, sed eos veluti sponte damnatos exhibet: «Quum illi, [angeli], ait, ob unum peccatum IVERINT ad infernum...» Quod si inferius paulo «De caelo ad infernum praecipitatos» scribit, at tacet a quo praecipitati fuerint; neque ea dicit nisi post gravissima illa verba: «Quum essent ipsi creati in gratia, nolentes se adiuvare ope suae libertatis ad exhibendam reverentiam et obedientiam suo Creatori ac Domino, devenientes in superbiam, etc.» In secundo autem puncto dicuntur protoparentes «E paradiso expulsi» vixisse sine iustitia originali, quam perdiderant, etc. In tertio deinde puncto, de illo «Qui ob unum peccatum mortale IVIT ad infernum, et multi alii,» etc., scribit: «Discurrere intellectu quomodo in peccando et agendo contra Bonitatem infinitam [homo talis] IVSTE fuerit condemnatus in aeternum.» Denique in quinto exercitii secundi puncto mirari me peccatorem facit, quomodo creaturae omnes «Me passae sint vivere et in vita conservaverint,» etc.: ubi universae creatae res exhibentur tamquam infinitus exercitus in me armatus, exspectans nutum Imperatoris ut irruant in me peccatorem, ut me conficiant, ut in nihilum redigant: et non modo continet Imperator universum exercitum, cupidum vindictae, sed eis praecipit ut me tueantur, ut mihi vitam conservent, ut inserviant ac ministrent, non secus ac si essem benemeritus miles,

et, ut rectius dixerim, obsequentissimus filius. Neque in fine huius puncti creantem novos infernos inducit Deum, sed dehiscentem tellurem ut me absorbeat.

Nullibi vel verbum reperias, in quo quidpiam asperitatis acerbitatisve in Deum humana fragilitas detegere valeat, et quod in Deum fiduciam minuere possit. Homo namque ex consideratione supremi Iudicis, districtum iustitiae gladium manu gestantis, deiicitur potius, conteritur, in quoddam veluti desperationis genus concidit, quam in cognitionem venit gravitatis ac malitiae scelerum a se patratorum. Qui ergo Exercitia tradit, summopere agendi rationem Beati Patris prudentissimam imitetur: qui certe peccatorem non terrere, non proterere, non in desperationem agere, sed emendare, sed sublevare, sed ad meliorem perfectioremque vitae rationem ineundam allicere studet. Omnino igitur a verbis abstineat, quae possent animos frangere; ea vero adhibeat, quae fiduciam, quae spem, quae gratitudinem in Deum tenerrimam excitent. Si quid vero in re tam gravi asperitatis occurrat, in peccati malitiam totum refundatur; peccati vero tunc sane admissi, quando eius immensa gravitas minus innotescebat. Quare plenior eiusdem gravitatis ac nequitiae cognitio, quae in hisce exercitiis adquisita est, gignat utique in animo odium ac detestationem tum peccati tum eiusdem causarum atque occasionum, gignat eorum omnium in posterum vitandorum firmissimum propositum; gignat denique supremi Iudicis timorem; at eiusmodi timorem, ex quo fiducia in Deum neutiquam minuatur; immo vero ex consideratione divinae in me misericordiae, quam toties expertus sum, adaugeatur.

CAPVT VIII

DE FORMA SEV RATIONE EXERCITIORVM PRIMAE HEBDOMADAE RITE INSTITVENDORVM

Quae hactenus de quinque hebdomadae primae exercitiis dicta sunt, eo potissimum spectant, ut finis in eis intentus cognoscatur: in quo sane Ignatiana ars maxime conspicitur. Forma vero, qua ipsa exercitia facienda traduntur, adeo est etiam Ignatianae artis propria, ut vel ex hoc uno capite ab aliis perfectionis obtinendae methodis, methodus Ignatiana discriminetur. Triplex autem docetur ab Ignatio forma, qua fieri debent primae huius hebdomadae exercitia: prima est, quam ipse vocat «Meditatio per tres animae potentias» facienda; secunda est repetitio; tertia, sensuum applicatio. Tria vero respicit horum exercitiorum forma; eorum videlicet initium, medium, finem.

§ I. DE RATIONE INEVNDI EXERCITII, SEV DE ORATIONE PRAEPARATORIA ET DE PRAELVDIIS

Initium duo continet: orationem praeparatoriam et praeludia seu praeambula. Oratio praeparatoria est gratiae petitio ut omnes intentiones (seu actus intellectus), actiones, (seu actus voluntatis), et operationes (per omnes alias hominis potentias exercendae in meditatione, quam aggredior), pure ordinentur in servitium ac laudem suae divinae Maiestatis.» Quum enim per integram meditationis horam multae excitentur intentiones, multae spirituales actiones, operationesque sensuum internorum et externae toto corpore exerceantur, oportet ut omnes Deo referantur, eique sint sacrae.

Et fortasse voluit Ignatius, ut qui sese exercet quoties ad meditandum accedit, profiteretur nullo consolationis aliusve proprii commodi desiderio adduci ut meditationem ineat; sed illud unum optare, quod ad servitium et laudem divinae Maiestatis conducat. Profitemur etiam opus illud mox incipiendum, finemque in eo obtinendum, non ab humanis pendere viribus, non esse volentis nec currentis, sed miserentis Dei. Haec autem oratio praeparatoria et numquam est omittenda, et numquam in aliam commutanda.

Praelvdia vero, seu praeambvla, sunt alii actus inter orationem praeparatoriam et ipsam meditationem faciendi. Duo in hebdomade prima iniunguntur praeambula: loci compositio et petitio.

Loci compositio fit repraesentando per imaginationem obiecta praecipua, in suo quaeque loco distributa, de quibus obiectis est instituenda meditatio. Quod si spiritualia sint obiecta, corporea aliqua spiritualis rei imago confingenda est. Haec sane rerum in certis ac definitis locis prope orantem constitutio mirum in modum adiuvat: phantasia enim sensibili illa repraesentatione quodammodo alligata, non modo menti inter orandum non obest, quum in aliena obiecta minime divagetur; sed etiam eam fovet atque adiuvat proponendo obiecta mentis actibus accommodata.

Petitio est oratio, qua gratiam a Deo postulamus, ut particulares quasdam cognitiones et affectus, exercitii mox faciendi proprios, excitemus, quos ex meditatione haurire optamus. Quare in hac petitione cognosci solet fructus, quem ex illo exercitio Ignatius intendit. At non semper totus meditationis fructus in petitione exprimitur: nonnumquam enim ex colloquiis et ex ipsa punctorum materia intelligendus est, ut supra dicebamus.

Ex allatis definitionibus patet loci constitutionem petitionemque, licet numquam omittenda sint, attamen pro meditationum varietate esse commutandas. Variae autem censentur meditationes, quoties diversa sunt et materia et finis. Quamobrem in repetitionibus et applicationibus sensuum, quoniam materia et finis plerumque non sunt alia a meditatione, quae repetitur et cui sensus applicantur, duo illa praeludia minime mutantur.

§ II. DE EXERCITII PROGRESSV, ET PRIMO DE MEDITATIONE PER TRES ANIMAE POTENTIAS FACIENDA

Quod vero ad medium, seu ad ipsum exercitium pertinet, triplex ratio a Beato Patre assignatur ipsius perficiendi, nimirum, meditatio, repetitio, sensuum applicatio; quae sane tria in una eademque materia successive exercentur. Et ut de meditatione in primis loquamur, duo in ea distinguenda sunt: meditationis puncta, et actus potentiarum exercendarum. PVNCTA vocat Beatus Pater certum quemdam partium numerum, in quas ipsa meditatio dispertitur. Hae quidem partes considerantur vel ex ratione materiae, vel etiam ex ratione actuum potentiarum. Quando in puncta distribuitur materia, tunc in singulis materiae partibus singuli potentiarum actus suo ordine exercendi sunt. Vtriusque formae exemplum affert Beatus Pater in duplici exercitio de peccatis.

Et quidem prioris formae, per materiae nimirum divisionem, exemplum habetur in primo exercitio, ubi materiam distribuit in primum, secundum ac tertium peccatum. Singula vero puncta explicans, exercere praecipit animae potentias, memoriam, intellectum, voluntatem. «Primum, inquit, punctum erit, trahere

[applicare] memoriam, super primum peccatum, quod fuit Angelorum; et deinde super idem intellectum, deinde voluntatem:» et postea: «Secundum, idem facere, id est, trahere tres potentias, super peccatum Adae et Evae:» denique: «Tertium eodem modo idem facere circa tertium peccatum.» Ibidem in singulis punctis singularum potentiarum actus explicat, quibus exercendae illae sunt. Ita in primo puncto duplicem memoriae actum adscribit: prior est simplex rememoratio: «Trahere in memoriam peccatum Angelorum:» alter est explicatior facti recordatio, et quasi consideratio: «Quomodo, quum essent ipsi creati in gratia, nolentes se adiuvare ope suae libertatis ad exhibendam reverentiam et obedientiam suo Creatori ac Domino, devenientes in superbiam, conversi fuerint ex gratia in malitiam, et de caelo ad infernum praecipitati.» Haec omnia memoriae assignat, seu intellectui operanti in materia praeterita. Intellectui autem unum attribuit actum, nempe discursum seu ponderationem: «Et ita consequenter discurrere magis in particulari per intellectum.» Voluntati tandem duos assignat: prior est veluti reflexio in actus aliarum potentiarum, illos imperando: «Deinde voluntatem, volendo totum illud memorari et intelligere ut magis erubescam et confundar»: alter est affectuum commotio: «Et consequenter movendo magis affectus per voluntatem.» Idipsum faciendum in secundo et in tertio puncto praecipit.

Quae quidem omnia fusius Beatus Pater in hoc primo exercitio explanat, quia, ut habet communis eorum sententia, qui de Exercitiis Ignatianis scripsere, hoc primum exercitium posuit quasi caeterorum formam et exemplar: quare in Directorio dicitur: «Voluit B. P. N. Ignatius in hoc quasi aditu et principio omnium Exercitiorum viam monstrare, quae in meditando tenenda est.»

Altera vero meditationis instituendae ratio, in qua punctorum distributio sumitur ex actibus potentiarum, diserte traditur in secundo exercitio: in eo enim primum quidem punctum memoriae adscribitur; secundum autem, tertium et quartum, intellectui; quintum denique, voluntati. «Primum, inquit, punctum est, processus peccatorum, scilicet, trahere in memoriam omnia peccata vitae meae, inspiciendo per annos singulos vel per singula tempora.» Moxque tria adiungit, quae ad iuvandam memoriam valde conferunt. «Secundum, addit, ponderare peccata.» Quae profecto ponderatio actus intellectus est. Duplicem autem affert ponderationem: alteram in secundo puncto, ex consideratione nimirum «Foeditatis et malitiae, quam quodvis peccatum mortale commissum habet in se, etiamsi non esset prohibitum:» alteram vero in tertio et quarto puncto, ponderando quantulus sit peccator; quantus autem Deus, contra quem peccatur; illum minuendo, Deum vero extollendo per pulcherrimam gradationem. Tandem in quinto puncto exercere praecipit voluntatem. «Quintum, ait, exclamatio admirative, cum ingenti affectu, etc.»

Vbi duo admoneri videmur. Prius est, quoties materia meditanda tam gravis est, ut uno simplici puncto uberem praebeat segetem considerationum ponderationumque intellectui et affectuum voluntati, qualis est ista de propriis peccatis, potius hanc posteriorem, quam priorem illam, meditandi formam adhibendam esse. Alterum est, fieri posse, ut singula puncta, in quae dividitur materia in priori illa ratione meditandi, totidem singularium meditationum materiam constituant. Id autem evenire potest, quoties in singulis punctis vel in eorum aliquo inveniam id, quod quaero, iuxta quartam additionem, in qua docet Ignatius: «In puncto, in quo

invenio id quod volo, ibi quiescam, sine anxietate progrediendi ulterius [ad aliud punctum], donec mihi satisfaciam.» Et hac fortasse de causa Beatus Pater puncta illa primi exercitii non simpliciter «puncta,» sed «puncta CAPITALIA nominavit». Ita enim legitur in inscriptione: «Continet in se post orationem praeparatoriam et duo praeambula, tria PVNCTA CAPITALIA et unum colloquium.» Quod quidem appositum in secundi exercitii inscriptione reticuit.

Ex quibus omnibus apparet, praestantissimam esse meditandi rationem, quam docuit Beatus Pater. In primis enim aptissima ea est et valde accommodata naturae humanarum facultatum : quae sane ita sunt comparatae, ut voluntas intellectum sequatur, neque quidquam aut amplectatur aut aversetur, nisi quod amplectendum aversandumve proposuerit intellectus. Deinde, quum intensior remissiorve voluntatis impetus natura sua ex maiori aut minori intellectus illustratione oriatur, Beatus vero Pater quam maximum in voluntate impetum ciere velit; acriter conatur intellectum non modo rei recordatione attentaque consideratione, sed multiplici etiam ac vivaci eiusdem ponderatione veritatis lumine replere, ex qua lucis copia nisus ille, quem in voluntate exoptat, sponte erumpet. Denique, ut intellectus certius ac fructuosius veritate afficiatur, duo notatu valde digna praescribit. Prius est, ut qui puncta tradit, «Fideliter narret historiam talis contemplationis seu meditationis,» ut habetur in secunda adnotatione. Fideliter, inquam, narret, id est, nihil addat, nihil detrahat; quae vera non sunt, minime admisceat : ne videlicet consideratio intellectus anceps haereat, aut falso nitatur fundamento, cuius falsitate detecta, voluntas vel non movebitur, vel a re semel proposita retrahetur. Alterum est, ut qui puncta exponit, discur-

rat «Solum per puncta cum brevi seu summaria declaratione.» Quae quidem ad ponderationem pertinent. Causa vero huius praescriptionis in secunda eadem adnotatione affertur. «Quia, inquit, is, qui contemplatur, sumens verum fundamentum historiae, discurrendo ac ratiocinando per seipsum, et aliquid inveniendo, quod paulo magis declarari vel sentiri faciat historiam..., maioris est gustus ac fructus spiritualis, quam si ille, qui tradit Exercitia, multum declarasset ac dilatasset sensum historiae. Non enim, (optime concludit) abundantia scientiae satiat animam, eique satisfacit, sed sentire ac gustare res interne.» Neque enim agit Ignatius in suis Exercitiis de meris veritatum speculationibus ad ornandum intellectum, sed de bonitatis amore virtutisque exercitatione ad animum perficiendum omnibusque virtutibus decorandum.

Tota igitur intellectus per considerationem ponderationemque illustratio ad voluntatis affectus excitandos dirigitur. Haec autem motio voluntatis intensior erit aut debilior, prout erit intensior aut debilior illustratio intellectus. Quae quidem illustratio maior vel minor erit, prout acrius tardiusve penetretur veritas, et prout divinae gratiae illustrationes uberiores pauciores que fuerint. Ideo Beatus Pater affectuum motionem vix directe tangit, quia haec res ab arte non pendet. Si quando vero in colloquiis aliquid eiusmodi innuit, ideo facit, quia inter alios affectus, illos etiam excitari optat, in quibus solet magis reconditus ac praecipuus exercitii finis contineri, ut alibi dicebamus. Et haec dicta sufficiant de meditatione.

§ III. DE REPETITIONE DEQVE EIVS RESVMINE

Sequitur secunda exercitii ratio, quae est factae iam semel aut bis meditationis repetitio. In repetitione autem oratio praeparatoria et praeambula nihil immutantur. Dixi repetendam esse meditationem «bis vel semel factam,» prout una tantum, vel, ut in prima hebdomada contingit, duplex meditatio repetitur. Dicit enim in tertio huius hebdomadae exercitio Beatus Pater: «Repetere primum et secundum exercitium.» Primum et secundum inquit. «Scilicet, ait P. Roothaan, ordine servato; non confuse, aut facta per commixtionem una meditatione ex duabus praecedentibus, sed percurrendo ordine puncta, primo loco primi, deinde secundi exercitii.»

In duobus vero a meditatione distinguitur repetitio. Prius est, notanda esse ea solummodo puncta seu loca, in quibus maiorem senserimus consolationem aut desolationem, illisque diutius ac diligentius esse immorandum. «Notando, inquit, et moram faciendo in iis punctis, in quibus senserim maiorem consolationem vel desolationem, vel maiorem sensum spiritualem.» Id ita explicat P. Ferrusola [1]: «Diutius in illis punctis immorando, primo, in quibus maiorem senserimus consolationem; signum est enim velle Spiritum Sanctum per hanc viam nos ducere: secundo, in quibus maiorem desolationem passi fuerimus; quum enim censendum sit punctum esse gravis momenti, suspicari licet desolationem evenisse vel ex aliqua nostra culpa, vel ex diaboli fraude; quare oportet ut iterum cum humilitate et in Deum fiducia ipsi insistamus: tertio, in quibus

1 Part. II, sect. III, cap. XII.

maiorem sensum spiritualem acceperimus, aliquod nempe lumen vel aliquem affectum, ad illud exercitum minime pertinentem; ex hoc enim inferre etiam possumus velle hac via nos ducere Spiritum Sanctum.» «Fructus ex mentali oratione capiendus, (nuperrime dixerat), non in eo reponitur, quod plures veritatis mente versaverimus, sed in eo, quod habitus cognitionum, iisque respondentium affectuum, alte in animo deligamus: ad id autem apte conferunt repetitiones.»

Alterum, in quo repetitio a meditatione distinguitur, in eo consistit, quod in repetitionibus multiplicari soleant colloquia. In repetitione igitur hic a Beato Patre praescripta, tria colloquia facere iubemur. «Post quae, ait, faciam tria colloquia eo modo, qui sequitur.» Et quoniam colloquia pertinent ad id, quod est in quovis exercitio postremum, aliqua inferius, de ipso fine meditationis agentes, de colloquiis dicenda erunt.

Quod autem ad quartum exercitium seu ad secundam repetitionem pertinet, animadvertendum est, in hac prima hebdomada aliquid proprium statui a Beato Patre, diversum ab eo, quod in reliquis hebdomadis praescribit. In secunda enim hebdomada, ad quam in reliquis duabus subsequentibus reiicit, agens de quarto exercitio seu de quarta contemplatione, sic ait: «Quarta contemplatio erit repetitio primae et secundae eodem modo, quo facta est in supra dicta [praecedenti] repetitione.» In prima vero hac hebdomada, «Quartum, inquit, exercitium est resumendo ipsum hoc tertium,» quod vulgatus ita vertit: «Quartum exercitium conficitur ex tertii repetitione,» seu, quod idem est, ex repetitione praecedentis repetitionis, non vero primi et secundi exercitii iam semel repetiti. Subdit autem Ignatius: «Dixi resumendo, ut intellectus absque divagatione discurrat assidue per reminiscentiam rerum, quas

contemplatus est in exercitiis praeteritis.» Quae quidem verba ita explicat P. Roothaan: «Nota, in autographo non dici hoc exercitium *repetitionem*, sed faciendum esse *resumendo praecedentem repetitionem*. Quasi illud significetur, non iam esse iterum *repetendum primum et secundum exercitium*, per omnia scilicet utriusque puncta, prout in tertio factum est; sed potius resumenda quae potissimum in praecedenti repetitione animum commoverunt, ut eadem assidue memoria ac mente volvendo, ac sine divagatione per ea discurrendo, altius ea animo infigamus, ac praesertim dolorem de peccatis cum emendationis proposito magis ac magis confirmemus.» Hactenus P. Roothaan.

Ex hac vero speciali repetitionis forma quarto huic primae hebdomadae exercitio assignata, nonne inferre liceret, tam magni fructum primae repetitionis fieri a Beato Ignatio, fructum, inquam in triplici illo sollemni colloquio inclusum, ut utilius duxerit ipsam repetitionem, quam duplex illud iterum exercitium, repeti? Recolantur quae de triplici illo colloquio dicta sunt.

§ IV. DE APPLICATIONE SENSVVM

Tertia tandem ratio, qua exercitium perficitur iuxta Sanctum Ignatium est illa, quam ipse nominat «sensuum applicationem.» Sensuum, inquam, non externorum, sed imaginationis. Imaginatio enim una quum sit, quinque corporeis sensibus respondet; ornaturque proinde quinque facultatibus seu virtutibus ad quinque actuum species idoneis: qui profecto actus licet sint imaginationes, quinque sensuum externorum actibus pariter respondent. Immo ea est intellectus ab imaginatione dependentia, tantaque exsistit inter actus utriusque potentiae similitudo, ut quos sensus imaginationi tribui-

mus, eos etiam intellectui tribui soleant. Ita enim hortatur Regius Psaltes [1]: «Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.» Et Beatus Pater in secunda hebdomada praecipit, «Odorari et gustare infinitam suavitatem ac dulcedinem divinitatis, animae, eiusque virtutum.» Plura de hac re lege, sis, apud Ferrusolam [2].

Notandum primo hic est, solere Beatum Patrem sensuum applicationem praescribere circa materiam non modo bis aut semel meditando tractatam, sed bis etiam aut semel repetitam, ac proinde praeludia minime mutare. At quoniam in prima hac hebdomada viam huius exercitii deinceps instituendi monstrare voluit; selegit aptissimam materiam, quae sunt damnatorum supplicia: quapropter pro subiecta materia mutavit praeludia. Notandum deinde est, punctorum divisionem desumi hic ex ipsis actibus potentiarum, non vero ex spiritualium potentiarum actibus, quibus meditatio perficitur, sed imaginativae facultatis. Quamvis autem id non prohibeat quominus in singulis punctis exerceatur tum consideratio, tum ponderatio et affectuum commotio ex iis oritura; attamen ea videtur esse Beati Patris mens, ut huiusmodi actus minime exerceantur, saltem quoties sensuum applicatio instituitur circa materiam iam meditatam ac repetitam, quia consideratio et ponderatio supponuntur iam factae.

In quonam autem differat a meditatione huiusmodi sensuum applicatio, docetur in Directorio [3]: nam «Meditatio est magis intellectualis, et magis versatur in ratiocinatione, et omnino est altior... At vero applicatio non discurrit, sed tantum inhaeret in illis sensibi-

1 Ps. XXXIII, 9.
2 Part. II, sect. III, cap. XIV.
3 Cap. XX, n. 3.

libus, ut in aspectu et auditu, et reliquis eiusmodi, quibus fruitur et delectatur cum profectu spirituali.»

Quod vero ad huius exercitii utilitatem pertinet, duplex ibidem recensetur, quarum altera ad applicationem circa novam materiam, altera vero ad applicationem circa iam meditata ac repetita, referri videtur. «Interdum enim, ait, quum anima non potest profundiora speculari; dum in his immoratur, paulatim disponitur et elevatur ad illa altiora.» Quae sane verba supponunt nondum tractatam materiam per meditationem; immo ab illa persona vix tractari posse, sive quod materia profundior sit, sive quod persona parum sit idonea tali materiae meditandae. «Interdum autem contra, subiungit, anima iam impinguata, fervens devotione ex cognitione illorum mysteriorum altiorum, descendens deinde ad haec sensibilia, in omnibus invenit pastum et consolationem et fructum,» etc. Quae certe supponunt materiam iam meditando contemplandove tractatam.

«Animadvertamus autem oportet, ut docet P. Ferrusola citato loco, Sancti Patris mentem haudquaquam esse, ut in his actibus (nempe imaginationis) sistamus; quia sunt actus solius virtutis imaginativae, ac proinde nondum sunt actus mentalis orationis proprii, quae operationes intellectus et voluntatis requirit, ut alibi docuimus. Mens igitur Sancti Ignatii haec est, ut in intellectu, vehementibus imaginationis actibus adiuto, vividior acriorque excitetur atrocissimarum poenarum cognitio; cui respondens voluntas, in vehementiores itidem affectus erumpat; sive hoc fiat per adquisitam contemplationem, sive per meditationem affectivam, sive alia quacumque ratione, quae plus afferat utilitatis.»

§ V. DE FINIENDO EXERCITIO PER COLLOQVIVM AC PRECEM VOCALEM

Diximus iam de principio et medio spiritualis exercitii: reliquum est, ut de eius fine seu termino pauca dicamus. Duo autem facienda docet Beatus Pater in fine exercitii: prius est colloquium; alterum vero, recitatio alicuius vocalis orationis. De colloquio quidem quatuor tradit Ignatius. Primum est, colloquium proprie fieri loquendo, ut ipsa vox significat. Secundum est, posse fieri vel cum alio, vel secum ipso. Cum alio quidem, quando Beatam Virginem, Christum Dominum, aeternum Patrem alloquimur, prout praecipitur in tertio huius primae hebdomadae exercitio. Secum ipso autem, per quamdam videlicet in nosmetipsos reflexionem, ut habetur in colloquio primi exercitii. «Itidem, ait, [colloquium mecum ipso instituere] inspiciendo meipsum, [percontari ex me] quid egerim pro Christo, quid agam pro Christo, quid agere debeam pro Christo.» Hanc porro sese exercentis in seipsum reflexionem, quam ibi in colloquio posuit Beatus Pater, summi momenti esse ducebat, ut patet, primo, ex secunda hebdomada, ubi post singula contemplationis puncta subiungit haec aut similia verba: «Et reflectere, ut fructum capiam ex tali aspectu... ex earum verbis... ex unaquaque ex his rebus.» In tertia vero hebdomada hanc ipsam reflexionem constituit sextum omnium contemplationum punctum: «Sextum, ait, considerare quomodo haec omnia patitur pro peccatis meis, etc.: et quid debeo ego facere et pati pro illo.» In quarta denique hebdomadade praecipitur in singulis punctis postremae contemplationis de amore obtinendo. Quapropter quum in hac prima hebdomada res fusius declarare soleat Beatus Pater,

ut in posterum ad earum normam per reliquas hebdomadas instituantur exercitia, censendus est tradidisse in hoc primo colloquio rationem instituendae postea reflexionis, per illam nempe triplicem interrogationem: Quid egi hactenus pro Christo, aut quomodo eum imitatus sum; Quid nunc ago, aut quomodo imitor; Quid debeo in posterum agere, aut quomodo imitari. «Atque ita videndo illum talem, et ita fixum in cruce (in secunda vero hebdomada, talia facientem, loquentem, ita se gerentem, etc.), discurrere per ea, quae se obtulerint,» nempe, veniam petere, quod hactenus nihil aut parum pro eo egerim eumve imitatus fuerim; aliquid tandem agere, vel imitari incipere; proponere in posterum maiora agere aut pati, propius eum imitari, etc.

Tertium, quod in hoc colloquio docet, est modus, quo loqui debeo, quando alterum alloquor. Duplicem autem innuit: primum, «Sicut amicus loquitur ad alterum (nempe amicum); secundum, «Vel servus ad dominum.» Quamvis autem plures modos non exprimat, non tamen videtur ab eius mente alienum ut loquar etiam sicut solet frater ad fratrem, filius ad patrem aut matrem, aegrotus ad medicum, egenus ad divitem misericordissimum, et similia. Immo ex quarto, quod ibidem affert, videtur hanc extensionem admittere.

Quartum enim est, sermo habendus in colloquio. Tria vero assignat de quibus loquendum est. Primum est, «Petendo aliquam gratiam,» quod est egeni ad divitem; secundum, «Incusando seipsum mali alicuius commissi;» quod pertinet ad offensorem vel reum erga offensum vel iudicem; tertium, «Communicando res suas, et petendo consilium in illis,» ut solet ignorans petere a viro prudenti, seu discipulus a magistro.

«Et dicatur [in fine] *Pater noster*.» En vocalem orationem, qua omnibus exercitiis imponendus est finis; ut

quemadmodum ab oratione praeparatoria incipitur exercitium, ita per orationem dominicam claudatur. Claudatur, inquam: nam quando plura praecipiuntur colloquia instituenda cum diversis personis, primo loco proponitur a Beato Patre beatissima Virgo Maria, cui recitari iubemur angelicam salutationem; secundo, autem Christus Dominus, eique recitatur oratio illa, quae incipit «Anima Christi;» tertio tandem, aeternus Pater, cui dominica oratio recitanda praescribitur.

Illud hic animadvertendum est, quod scripsit Beatus Pater in tertia adnotatione. Quum enim «In omnibus exercitiis spiritualibus utamur actibus intellectus, dum discurrimus, et voluntatis, dum afficimur; advertere debemus, quod in actibus voluntatis, quando vocaliter aut mentaliter cum Deo Domino nostro vel cum Sanctis eius loquimur, requiritur ex parte nostra maior reverentia, quam dum utimur intellectu, intelligendo.»

CAPVT IX

DE PRIMIS DOCVMENTIS AD EXERCITIA HEBDOMADIS PRIMAE PERTINENTIBVS, SEV DE DECEM ADDITIONIBVS

Duplici Beatus Pater mediorum genere utitur ad finem cuiusque hebdomadis proprium consequendum. Prius quidem ac praecipuum exercitia sunt, ea utique forma peracta, quam nuper pro exercitiis hebdomadae primae exposuimus, ac deinceps pro subsequentium hebdomadum exercitiis suo loco exponemus. Alterum vero sunt documenta quaedam, quae ad accuratam ipsorum exercitiorum exsequutionem, atque ad efficaciorem consequutionem finis in eisdem intenti, dirigunt. Documenta igitur, ad primam hebdomadam spec-

tantia, ad duo capita revocantur: ad additiones, et ad regulas priores de spiritibus dignoscendis.

Porro ex additionibus aliae proxime et immediate, aliae remote et mediate exercitium respiciunt. Ex prioribus autem aliae referuntur ad tempus, quod primum ac secundum exercitium (media nocte et sub auroram faciendum) immediate praecedit, ut habetur in tertio notando ex quatuor, quae his additionibus supponuntur, quales sunt prima ac secunda; tertia et quarta ipsum cuiusque exercitii initium ac medium respiciunt; quinta finem. Quinque vero reliquae ipsam personam sese exercentem dirigunt et componunt, ut certiorem uberioremque fructum ex exercitiis hauriat.

§ I. DE QVATVOR PRIMIS ADDITIONIBVS

Prima additio. Iubeor igitur in prima additione ut «Post cubitum, quando iam dormire volo, per spatium unius *Ave Maria* cogitem de hora, qua surgere debeo, et ad quid, resumendo (id est, breviter animo puncta iam lecta vel audita retractando) exercitium, quod mihi faciendum est.» Ex cuius primae additionis adimpletione, quatuor hasce utilitates percipi docet P. Ferrusola [1]: «Prima est, quia erit medium, ut prava somnia caveamus: solent enim ea cogitationibus similia esse, quas ante somnum habuimus; secunda est, quia facilius hora proposita expergiscemur, si quidem hac cura dormire coeperimus; tertia est, quia elapso diei finem imponimus actu, qui certe Deo placet; quarta, quia brevis illa exercitii faciendi retractatio, animo facta, id efficiet, ut mane (vel media nocte) illico orare possimus, quin tempus teramus revocando in memoriam

1 P. II, Sect. IV, cap. I.

praeludia, quae, servata hac additione, facile recordabimur.

Notatu dignum est, quam brevi temporis spatio haec additio facienda a Sancto Ignatio praescribatur. Vt enim ipse ad Sororem Teresiam Rejadellam scribebat, «Multis, orationi comtemplationive deditis, id contingit, ut quoniam antequam dormiant, diu intellectum exercent, postea ex earum rerum cogitatione, quas contemplati et imaginati sunt, dormire prohibentur: tunc autem animae inimicus pias utique cogitationes afferre studet, eo nempe fine, ut corpus, ob somni convenientis defectum, in morbum incidat: quod est omnino vitandum [1].»

Secvnda additio. Quemadmodum postrema elapsi diei cogitatio fuit de exercitio proxime faciendo, ita prima diei sequentis cogitatio de eodem sit oportet: eae vero, quae proxime sequuntur, cogitationes, nedum ab exercitio alienae, ipsi omnino accommodatae et conformes esse debent. Ideo «Quum expergiscar, non dando locum his vel illis cogitationibus, statim advertere [animum] (debeo) ad id, quod sum contemplaturus in primo exercitio mediae noctis.» Idem dic de secundo sub auroram faciendo.

Vbi notatu dignum est, quam opportunam afferat Beatus Pater similitudinem animo versandam in prima hebdomada: «Trahendo, inquit, [excitando] me ad confusionem de tam multis peccatis, proponendo [mihi]

1 Cartas de San Ignacio, Tomo I, Carta VIII. «A muchos acaece dados á la oracion ó contemplacion, que antes que hayan de dormir, por hacer ejercitar mucho al entendimiento, no pueden despues dormir, pensando despues en las cosas pensadas y imaginadas, donde el enemigo asaz procura entonces de traer cosas buenas, porque el cuerpo padezca, como el sueño se le quita; lo que totalmente se ha de evitar.»

exempla; veluti si eques aliquis consisteret coram rege suo et universa eius curia, PVDORE affectus et CONFVSVS (nota verba secundi praeludii in primo exercitio), quod graviter offenderit eum, a quo primum multa dona et multos favores acceperat. Item in secundo exercitio, reputando me magnum peccatorem et catenis vinctum, scilicet, quod eam veluti ligatus catenis, compariturus coram summo Iudice aeterno, proponendo [mihi] in exemplum, quomodo [rei] carceribus detenti et catenis vincti, iam morte digni, compareant coram suo iudice temporali. Et inter has cogitationes vel alias, iuxta subiectam materiam, vestibus me induere.» Quo quid vividius, quid aptius ad excitandum pudorem, confusionem, dolorem de peccatis, cogitari potuit? Quid magis idoneum ad extollendam divinam misericordiam, quae me tantis malis eripuit?

TERTIA ADDITIO. Aptissima traditur ratio exercitii incipiendi per tres illos actus in tertia hac additione praescriptos. Primus, elevatio mentis ad Deum; secundus, consideratio Dei me respicientis; tertius, actus reverentiae seu humiliationis. Neque enim orandus Deus est quasi longe abesset, ac proinde per litteras aut per nuntios, sed tamquam si praesens esset, ut reapse est: neque solum praesens, verum etiam misericordes illos oculos in nos intendens, et splendidissimum suae faciei lumen in nos emittens: tantum igitur ac tam beneficum Dominum, qui ad sui consuetudinem nos misellos servulos admittit, tum interiori animi reverentia, tum externa corporis humiliatione adorare oportet. Ex hac ipsa animi comparatione magnitudo actus mox exercendi extollitur.

QVARTA ADDITIO. «Intrare, inquit, in contemplationem:» id est, iuxta Patrem Ferrusolam, facere orationem praeparatoriam. Notandum sane quam multiplex

corporis positio permittatur a Sancto Ignatio: «Modo, ait, genuflexus, modo prostratus in terram (i. e. sive prorsus iacens, sive non omnino iacens, facie vero in terram versa), modo supinus, (i. e. iacens aut inclinatus, ore ad caelum verso), modo sedens, modo stans.» Quaenam vero causa erit unius prae alio situs eligendi? Affertur a Beato Patre intentio finis: «Intendendo semper ad quaerendum id, quod volo.» Duo autem animadvertit: prius est: «Si invenio id, quod volo, genuflexus, non pergam ultra [alium situm tentando]: et si prostratus, similiter.» Si enim quod quaeris, invenias, quid ulterius inquiras? Eadem etiam de causa, iuxta alterum, quod ibi animadvertitur: «In puncto, in quo invenero id, quod volo, ibi quiescam, sine anxietate progrediendi ulterius [ad aliud punctum], donec mihi satisfaciam.» Nam finis exercitii non est ipsius exercitii exsequutio, sed affectuum commotio et propositi efficax conceptio, quae in exercitio exquiruntur: medii igitur rationem habet exercitium: tantum proinde adhibendum, quantum ad finem consequendum adiuvet: fine autem obtento, quiescendum est. Neque id de punctis solum intelligendum est, quae consistunt in divisione materiae in plures partes, qualia sunt puncta primi exercitii; sed de illis etiam, quorum distributio ex potentiarum actibus desumitur, qualia habentur in exercitio secundo et quinto. Eadem enim ratio pro utrisque valet.

§ II. DE QVINTA ADDITIONE

Qvinta additio. Quum unus ex praecipuis fructibus, ex Exercitiis eliciendus, sit perfectam addiscere rationem ipsorum exercitiorum efficiendorum, quae sane per totam deinceps vitam adhibenda mihi sunt; maxima cura Beatus Pater contendit hanc difficillimam ar-

tem tempore, quo quis Exercitiis vacat, edocere. Haec autem ars adquiritur, non secus ac quaelibet alia, per adquisitionem perfecti habitus actuum perfecte exsequendorum. Habitus recte sese exercendi, per actuum repetitionem, qui in Exercitiis iugiter ac sine intermissione, paene dixerim, eliciuntur, paulatim gignitur. Actus vero quilibet perfecte efficietur, si regulae omnes serventur, quae ad rectam operationem constitutae sunt. Ideo in quinta additione praecipit Ignatius, ut «Post finitum exercitium, per quartam horae partem, sive sedens, sive deambulans, dispiciam quomodo mihi successerit in contemplatione seu meditatione,» nempe, utrum bene an male mihi successerit. Quid autem sit bene hac in re, quid male, succedere, ex ipsis Ignatii verbis inquirendum est. In primis ergo adverbia illa «bene» et «male» respicere videntur modum ipsum exercitii faciendi iuxta rationem praescriptam pro ipsius initio, medio et fine, prout in superiori capite declaravimus. Id eruo ex postremis huiusce additionis verbis: «Et si bene, ait, (intellige, successerit), gratias agam Domino Deo nostro, et altera vice EODEM MODO faciam.» Cur autem gratiae Deo agendae sint, multae sunt causae: prima, quod bonam voluntatem servandi praeceptiones illas mihi indiderit; secunda, quod tam multae minutaeque quum sint, nullius oblitus fuerim; tertia, quod impedimenta vel prorsus averterit, vel si quod occurrerit, gratiam ad illud superandum fuerit largitus; etc. Deinde vero, memorata adverbia modum actionis afficiunt, qui sub mea libertate sit. Nam «Si male, inquit, dispiciam causam unde [hoc] procedat; et ita inspecta causa, dolebo, ut me emendem in posterum.» Quid autem doleam, nisi de culpa aliqua? Quid in posterum emendem, nisi in quo peccatum aliquod contra praeceptionem (esto sub peccato, stricto sensu,

nequaquam obligantem) admiserim? Iam vero culpa dolenda atque emendanda liberam profecto voluntatem supponit.

Non igitur male successisse meditatio existimanda est, quod in ea pauciores vel nullas divinas illustrationes consolationesque acceperim, quod plures passus sim animi evagationes, tentationes diabolicas, mentis ariditatem, et huiusmodi alia: modo id ego conatus sim, ut nullam praetermitterem additionem, nullum praeludium, nullam mearum potentiarum operationem, iuxta normam superius praescriptam, suo fructu non carebit meditatio; facienti enim quod est in se, Deus non denegat gratiam. Dixi autem «suo fructu.» Fortasse enim fructum illum minime percipiam, quem ego intendebam; obtinebo autem alium, quem Deus novit mihi nunc magis expedire.

Adeo cordi erat Beato Patri cura haec exercitiorum iuxta praescriptas regulas perficiendorum, ut toto Exercitiorum tempore examen particulare de recta ac fideli earum regularum observatione fieri praeceperit. Ita enim constituit in quarto notando sub fine huius primae hebdomadis: «Examen, inquit, particulare fiat ad tollendos defectus ac negligentias circa exercitia et additiones: et ita in secunda, tertia et quarta hebdomada.» Noverat videlicet, optimam viam gignendi perfectum operandi habitum consistere in perfectione singulorum actuum iugiter iterandorum: examen autem, ad operum emendationem perfectionemque obtinendam, inter efficacissima media recensebat. Quamobrem hortari solebat ut post quodlibet opus alicuius momenti, maxime vero quando quis illud exercere incipiebat, peracti operis examen institueretur; idque in Constitutionibus [1] convenire scribit confessariis, audita aliqua

1 P. IV, cap. VIII, § 4, *D*.

confessione, praesertim in principiis. «Aliqua, inquit, confessione audita, praesertim in principiis, Confessarius apud se consideret, num in re aliqua defecerit, ut in posterum caveat.»

§ III. DE ADDITIONE SEXTA

SEXTA ADDITIO. Quinque hactenus explicatae additiones proxime et immediate respiciunt ipsum exercitium faciendum; reliquae vero quinque referuntur ad tempus, quod interdiu ab uno ad aliud exercitium intercedit; et nonnisi remote atque mediate, licet primo et principaliter, ad ipsa exercitia quotidie facienda. In sexta ergo additione iubemur duo: prius est negativum, scilicet, quantum in nobis sit, omnem avertere alienam a materia, quam versamus, cogitationem, quae optatum fructum impedire, aut saltem retardare, posset. Alterum est positivum, ut nempe e contrario, congruis materiae cogitationibus curemus fructum ipsum certiorem uberioremque efficere. Quum ergo in prima hebdomada poenam, dolorem, lacrymas de admissis peccatis quaeramus; ad haec vero intime persentienda obsint cogitationes de rebus iucundis ac laetis, quantumvis alioquin piae sint ac sanctae, quales sunt de caelesti beatorum gaudio, de Christi Domini gloriosa resurrectione; prohibemur huiusmodi cogitationes exquirere. «Nolle, inquit, cogitare de rebus iucundis ac laetis, etc.» Vnde si sponte, nullo meo conatu sese offerant, subterfugiendae sunt, quantum sit in me.

E converso autem cogitationes, quae huius hebdomadis proprios affectus fovent, accersendae, revocandaeque sunt: «Tenere, inquit, ante me [in hoc insistere], velle me dolere et sentire poenam, trahendo [revocando] potius in memoriam mortem et iudicium,»

potius, nimirum, quam «gloriam et resurrectionem.» Vbi non simpliciter praecipit, ut de morte ac iudicio cogitemus, sicut simpliciter prohibet ne cogitemus de gloria et resurrectione; quia haec certo obessent, illa vero, mors et iudicium, prodesse possunt; at si necessaria non sit duorum horum in memoriam revocatio, aut saltem utilis, non est quod in iis recogitandis immoremur, aut in eis ad memoriam revocandis laboremus.

Haec videtur esse Ignatii mens. Permisit tamen ipse, ut de morte ac iudicio, deque aliis peccati poenis singulares instituerentur meditationes, prout habet vulgatus interpres post quintum huius hebdomadae exercitium, ubi «Si visum, ait, erit ei, qui tradit Exercitia, expedire ad profectum eorum, qui exercentur, alias meditationes his adiicere, ut de morte ac de aliis peccati poenis, de iudicio, etc. non se putet prohiberi, licet hic non adscribantur.» Similia leguntur in Directorio [1]: ubi praeterea huiusmodi adiecta exercitia dicuntur «Rarissime omittenda» videri: cuius quidem rei duplex ibidem causa affertur: prior, «Quia multa habent momenti, ut avocetur animus ab inordinato amore rerum harum visibilium;» altera, quia «In his meditationibus concipit anima timorem sanctum Domini, ut pariat spiritum salutis.» Haec tamen exercitia Sanctum Ignatium minime praescripsisse, significare potest, existimasse illum fore ut duplex hic allatus fructus posset obtineri in duplici de peccatis repetitione et in exercitio de damnatorum cruciatibus.

Gravissimi procul dubio momenti sunt quae in hunc locum adnotat P. Roothaan. Qui postquam constare scripsit, et ipsum Sanctum Patrem, et ab eo edoctos

1 Cap. xv, § 4.

Patres, in prima hebdomada meditationes de morte, de iudicio, etc. addere consuevisse, ait: «Spectandus vero in iis semper triplex ille fructus, qui in colloquio tertii exercitii (supra) postulandus describitur. Ac poenae quidem peccatorum ad PECCATI COGNITIONEM AC DETESTATIONEM generandam potissimum inserviunt; mortis vero ac iudicii consideratio, tum ad peccati detestationem, tum praesertim ad ORDINANDAM recte VITAM, et MVNDVM COGNOSCENDVM et ABHORRENDVM efficacissima est.»

Duo autem in sexta, qua de agimus, additione sunt notatu digna. *Prius* est, adhibere Beatum Patrem emphaticas illas loquutiones: «Nolle cogitare,» «Velle me dolere;» et non quomodocumque velle, sed «Tenere ante me» hoc velle, quasi dicat «Curam hanc perpetuo gerere, id speciali cura prae oculis habere, in hoc insistere;» hanc enim vim habere videntur hispanica verba *Tener delante de mí*, quibus utitur Beatus Pater. Significat videlicet nisum et conatum voluntatis esse necessarium ad alias quidem cogitationes, si forte non quaesitae obvenerint, repellendas, ad alias vero, si facile non se obtulerint, revocandas. Quid autem aliud ex hisce intelligitur, nisi hanc esse rem gravissimi momenti? Nam is erat Ignatius, qui rei cuique suum momentum sine exaggeratione tribueret. *Posterius* est, totum hunc voluntatis conatum postulari ad memoriae atque intellectus collectionem, ac proinde ad imaginationis alligationem, ne in aliena divagetur, et ut congruas materiae meditandae species intellectui ac memoriae praebeat. Quamvis enim imaginationem non nominat; at certum est totam difficultatem in colligenda memoria atque intellectu ex phantasiae divagatione ac licentia oriri.

§ IV. de septima, octava et nona additione

Septima additio. Quo vero melius quieti ac tranquillitati imaginationis consulatur, praecipit Beatus Pater, ut «Ad eumdem effectum,» fovendi nempe exercitia per congruas cogitationes et repellendi contrarias, omni lucis claritate privemur, dum in cubiculo moramur, «Claudendo fenestras et ianuas tempore, quo fuero in cubiculo.» Non modo dum meditationi vaco, sed etiam extra tempora meditationis, dum in cubiculo moror; extra quod profecto divagari per domum, nisi ad rem aliquam necessariam aut valde utilem, non debeo. Excipit tamen «Nisi foret ad recitandum, ad legendum, ad cibum sumendum,» si ibi sumam. Non satis fore arbitratus est, si imaginationem per voluntatis imperium cohibere niteremur; sed voluit praeterea, ut ex ipsis sensibus nihil acciperet, quod noxium esset; ea acciperet, quae essent congrua et utilia. Quum autem ex lucis claritate rerum laetarum species oriantur, et ex iis laetae pariter cogitationes; obscuritas vero ac tenebrae cogitationes graves, tristesque foveant: noluit ut solis claritatem quaereremus, sed e converso ut ea abstineremus «Claudendo fenestras ac ianuas.»

Octava additio. «Non ridere,» quod est animi internis rebus parum intenti, et tam gravibus cogitationibus, quales in Exercitiis exquiruntur, minus affecti. «Neque quidquam dicere, quod risum provocet.» Id etenim vel levitatem indicat, vel animum rebus laetis et a virili gravitate alienis, occupatum.

Nona additio. «Refracnare, inquit, oculos.» Nisi enim oculos cohibeas, multas hauries rerum species, quibus pascatur imaginatio, quibus huc illuc transiliat, et tamquam soluta avicula tam longe avolet, ut postea

non nisi magno labore ad te reducas. Quanta inde memoriae, quanta intellectus evagatio! Excipe tamen quando ex urbanitate aliquem salutare, alicui valedicere eorum, qui ad te conveniant, oportebit. «Nisi in excipiendo vel dimittendo eo, cum quo loquutus fuero.»

§ V. DE DECIMA ADDITIONE SEV DE POENITENTIA

«DECIMA, inquit, ADDITIO est poenitentia.» Quoniam vero non de poenitentia in genere, sed de sola exteriori agere voluit; et quidem non praecise quatenus est specialis virtus, sed quatenus latiori quodam sensu accipitur: ideo a divisione poenitentiae in exteriorem et interiorem orsus, de sola deinceps exteriori loquitur. Optime vero animadvertit, exteriorem, quam definit «Castigationem de peccatis commissis,» esse fructum interioris, qua nimirum «Dolemus de peccatis cum firmo proposito non committendi eadem, nec alia quaecumque.» Quemadmodum enim quaevis arbor suos profert fructus; ita interior poenitentia, si vera sit, in actus exterioris etiam poenitentiae prosiliet: et vicissim, quemadmodum arbor e semine, quod in fructu latet, gignitur; ita exterior poenitentia interiorem fovet atque adauget. Quomodo autem in semetipsum non saeviat, qui se suimet infensissimum hostem agnoscat, qui tam saepe, tam graviter Deum offendit, reumque se aeternorum in inferis cruciatuum constituit? Quicumque igitur de patratis sceleribus, verum conceperit dolorem et contritionem, vix fieri poterit, ut corpus tamquam effraenem belluam in peccatum semper rapientis, non conetur flagellis et aliis castigationibus edomare.

Notatu hic etiam est dignum, qua suavitate Beatus Pater rem, humano sensui adeo repugnantem, absque

ulla asperitatis specie pertractet. Non inclamat, corpus esse castigandum, in servitutem redigendum, in eo ulciscendas iniurias ipsius causa Deo illatas : nihil horum prudentissimus vir loquitur; sed proposita duplici poenitentiarum specie, internae et externae, tria assignat, circa quae exerceri potest. In iis autem poenitentiam consistere docet in auferendo non modo superflua, sed et convenientia, in victu et somno, «Et quo plus atque plus [subtrahimus], eo maior et melior [est poenitentia]» Quorum verborum asperitatem illico temperat illis verbis: «Dummodo non corrumpatur subiectum, nec sequatur infirmitas notabilis:» ubi sollicitum se exhibet valetudinis eius, qui exercetur. Eamdem curam ac sollicitudinem ostendit, dum agit de carnis castigatione: mox enim ut docuit, eam consistere in «Inferendo illi dolorem sensibilem, qui infligitur portando cilicia, vel funes, vel vectes ferreos super carnem, flagellando seipsum vel vulnerando, et aliis asperitatum modis;» attamen quia caro ab eiusmodi summopere abhorret, consulit statim commoditati ac securitati poenitentis, suadendo ut funibus minutis se flagellet, quibus exteriores partes affliguntur, non autem «Alio modo, qui producat interius infirmitatem notabilem.» Quasi sese exercens fraenis, potius quam calcaribus, opus habeat. Atqui constat quam aspere, ne dicam crudeliter, ipse Ignatius dum Exercitiis in Manresana specu vacaret, sese afflictabat. Verum expertus etiam est quam posset inde laedi corporis valetudo.

Ne verbum quidem reperies, quo ad eiusmodi poenitentiam hortetur. Non ideo profecto quod ipse cupiat eas afflictationes non adhiberi; alioquin ut quid de iis tam diserte ac sapienter tractaverit? Sed adeo contritum interiori poenitentia ac dolore censet ex peractis meditationibus hominem, ut simplex exterioris poeni-

tentiae propositio sufficiat, ad eum invitandum ut illam adhibeat, atque tam acriter in eam feratur, ut modus ipsi imponendus sit. Vnde tacite admoneri videntur Instructores, potius sibi esse laborandum ut semen interioris poenitentiae immittant, ut animi terram quam optime possint disponant, quam ut fructum capere optent ex non seminato semine et animo minus disposito, tamquam ex terra arida, inaquosa et ligonibus non confracta.

Eamque Beatus Pater suavitatem non solum in corporis afflictatione proponenda, sed etiam in omnibus, quae ad Exercitia spectant, ab ea tradentibus prae se ferri cupiebat. Lainio namque ac Salmeroni in Concilium Tridentinum anno 1545 proficiscentibus, haec inter alia enixe commendavit: «Quin etiam exercitii leges atque praecepta cuique erunt mitiganda pro tempore: idque tum maxime, quum uni omnia meditationum argumenta praescribenda videbuntur [1].»

Quasi vero imperfectam reliquerit hanc de exteriori poenitentia tractatiunculam; ex quatuor notandis, quae tractatui de additionibus supposuit, duo ad rem hanc perficiendam dirigit, idque solita sua arte, nec minori suavitate. In primo enim notando inter alios fructus ex poenitentia externa hauriendos, tres potissimum recenset. Primus, «Satisfactio de peccatis praeteritis:» qui sane fructus est proprius poenitentiae actus, quatenus sumitur tamquam specialis virtus. Secundus, «Ad vincendum, inquit, seipsum, scilicet, ut sensualitas obediat rationi, et omnes partes inferiores sint (non modo subiectae, sed etiam) MAGIS subiectae superiori-

1 Orlandini, Hist. Soc., Lib. IV, n. 25. Las leyes y preceptos de los Ejercicios los mitigaréis cuando hubiere necesidad, y principalmente con aquellos que los han de hacer enteramente. (Cartas de S. Ignacio, Tomo I, Apéndice 2, n. 21).

bus.» Atqui homo non tunc solummodo quando agit de peccato detestando, subigere debet sensualitatem rationi, et inferiorem hominem superiori; sed etiam toto eo tempore, quo agit de virtutibus adipiscendis, deque iis, postquam fuerit adeptus, iuxta Dei voluntatem exercendis : per totam igitur vitam causa exsistit adhibendarum corporis afflictationum, maxime si inferior homo non quomodocumque, sed perfecte, seu, ut loquitur Beatus Pater, MAGIS subiectus inferiori esse oporteat. En qua arte suadet sese exercenti poenitentiarum perpetuum usum.

Id vero apertius adhuc docet, quum de tertio fructu disserit. «Tertio, inquit, ad quaerendam et inveniendam aliquam gratiam seu donum, quod homo vult ac desiderat: ut si desiderat habere internam contritionem de suis peccatis et flere multum de illis (en primam hebdomadam), vel de poenis ac doloribus, quos Christus Dominus noster sustinebat in passione sua (habes tertiam hebdomadam), vel ad obtinendam solutionem alicuius dubitationis, in qua homo versatur;» qui nempe casus in omni hebdomada occurrere potest, et praesertim in secunda, quando de electione agitur, et in quarta, ubi, prout videbimus, quaerenda est voluntas Dei intentiva in singulis particularibus actionibus, quemadmodum in secunda quaeritur relate ad status electionem. In omnibus ergo hebdomadis, seu quod idem est, in omni statu incipientium, proficientium, perfectorum, utilissimus esse potest exterioris poenitentiae usus.

Interiecto autem secundo notando, quod primam ac secundam respicit additionem, iterum in tertio ad poenitentiam revertitur, ubi documentum affert ad tertium fructum, de quo loquutus erat, opportunissimum. Duplex enim error in poenitentiarum usu, quod ad hunc

tertium fructum potissimum spectat, irrepere potest. Prior est, si quis existimet gratiam, quam desiderat, neque tamen obtinet, multiplicatis poenitentiis fore ut tandem aliquando obtineat. Contra hunc errorem nos praemunit Ignatius his verbis: «Quando ille, qui se exercet, nondum invenit id, quod desiderat, ut lacrymas, consolationes, etc., saepe prodest mutationem facere in victu, in somno, et in aliis modis agendi poenitentiam, ita ut nos mutemus, faciendo per duos vel tres dies poenitentiam, et per alios duos vel tres non.» Cuius rei causam duplicem affert: prior est: «Quia aliquibus convenit facere plus poenitentiae, et aliis minus,» (intellige ad impetrandam a Deo gratiam, quam desiderant). Quomodo autem comperiam ego quanta mihi expediat? Respondet Beatus Pater, propria et aliena experientia edoctus, Deum «Saepe in huiusmodi mutationibus dare unicuique sentire quid ipsi conveniat.»

Altera vero causa, in qua secundus, quem dicebamus, error latere solet, est, peccare nos posse in usu poenitentiarum, non modo per defectum, sed etiam per excessum. Per defectum quidem, «Quia saepe omittimus facere poenitentiam ob amorem sensualem et ob iudicium erroneum [erronee iudicando] subiectum humanum non posse sustinere [eam] absque notabili infirmitate.» Per excessum vero, quia «Aliquando, e contrario, facimus nimium [poenitentiae], putando quod corpus possit sustinere.» Remedium vero ad utrumque hoc extremum devitandum, illud ipsum est, quod dixi: «Quum Deus Dominus noster infinities melius cognoscat nostram naturam, (quantum nempe ferre valeamus,) saepe in huiusmodi mutationibus dat unicuique sentire quid ipsi conveniat.» Si videlicet gratiam expetitam concedat quando pauciores poenitentias exerces, signum erit, pauciores tibi convenire:

si vero deneget quando pauciores sumis, concedat vero quando uteris pluribus, signum erit plures tibi sumendas esse. En exemplum secundi ex tribus temporibus, prout vocat Ignatius, «Ad faciendam sanam et bonam electionem,» nimirum, «Quando sumitur [percipitur] multum claritatis et cognitionis per experientiam consolationum ac desolationum,» etc.

Vt autem in Societate omnis in hac re tolleretur error, ita statuit [1]: «Nec ullas ordinarias poenitentias vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas (Societas) habet: sed illas assumere quivis poterit, quae sibi videbuntur, cum approbatione Superioris, ad maiorem sui spiritus profectum convenire, et quas propter eumdem finem Superiores eis poterunt imponere.»

§ VI. QVAM SIT NECESSARIA ACCVRATA ADDITIONVM OBSERVATIO

Ex omnibus, quae hactenus de additionibus dicta sunt, patet quam mirabili arte Sanctus Pater non modo praeceptiones ad exercitia recte facienda tradiderit, sed totum etiam hominem cum omnibus suis potentiis ac sensibus ad illa fideliter peragenda veluti constrixerit. Quemadmodum autem unumquodque exercitium per traditarum additionum usum corroborat ac praemunit; ita ipsarum additionum exactam observantiam tuetur, praecipiendo in quarto notando, ut «Examen particulare fiat ad tollendos defectus et negligentias circa exercitia et ADDITIONES.» Ex quo sane duplex praecipuus finis obtinebitur: primo enim, habitus gignetur exercitii recte efficiendi, ut supra dicebamus, et adquiretur proinde ars orandi, quam quisque adhibeat,

1 Exam. Cap. 1, § 6.

aliosque docere possit: deinde, faciet homo quod in se est, ut disponatur ad accipiendas divinas illustrationes: et quia nihil aliud Deus exspectat, nisi ut homo se disponat, utque ostium cordis aperiat; intrabit profecto, mox ut apertum inveniat, et pro sua bonitate large se homini communicabit. Hinc optime monemur in Directorio [1]: Ex ipsis (additionibus) pendere fructum spiritualem Exercitiorum.» E contrario autem, inquit gravissimus vir, itemque exercitatissimus, P. Iacobus Miron, «Si quando additiones aliquae vel adnotationes negliguntur, perditur fructus, qui ex usu integro dependebat. Imo, si qua variatio, si qua mutatio fiat dando Exercitia Ignatii, non erunt illa ipsius, sed labor alterius spiritus. Quocirca additiones Exercitiorum ipsius sunt adeo propriae his et illis meditationibus, uni et alteri hebdomadae, ut si aliter usurpentur, careant suo fructu: idque tanto magis, si interponuntur meditationes aliae, vel si ad quamvis speciem meditationis quaevis species additionis applicetur. Atque hoc, quod diximus, et rectus usus talium regularum, est illud, quo praecipue distinguuntur varii modi et genera Exercitiorum.» Hactenus Miron, apud Bartoli, Lib. I, n. 17, allatus a P. Ignatio Diertins, in Lib. IV, n. 52 Historiarum Exercitiorum S. P. Ignatii.

CAPVT X

DE ALTERO DOCVMENTORVM GENERE PRIMAE HEBDOMADIS PROPRIO, SEV DE PRIORIBVS SPIRITVVM DIGNOSCENDORVM REGVLIS

Postquam diximus quam apte conferant decem additiones ad eliciendum fructum, qui in prima hebdomada

1 Cap. XV, 9.

expetitur, videamus nunc aliud documentorum genus, seu priores regulas ad dignoscendos animi motus, quae profecto ostendunt divinum hoc magisterium e caelo Ignatium hausisse. Videtur enim oculis intueri sese exercentis animum, procellas ibi coortas, interiores hostis oppugnationes: iisdem proinde omnibus opportunum admovet remedium.

§ I. EVM, QVI SE EXERCET, DIVERSORVM SPIRITVVM AGITATIONIBVS IACTATVM IRI

Consideremus hominem, qui sese ab amicorum cognatorumque societate abducit, consuetis occupationibus paulis pervaledicit, et in alienam se domum confert, ibique in summo silentio et magna solitudine aeternarum veritatum considerationi diu noctuque incumbit: earumque consideratione agnoscit se in pelagus miseriae fuisse submersum; videt se monstrum esse horrendum, turpissimum, aeternis cruciatibus addictum. Eiusmodi sunt ista, ut reapse taedium suimet ipsius, ut tristitiam, et fortasse desperationis sensus in animo gignant, praesertim si conferantur cum pace et quiete, qua, dum iis meditationibus non vacabat, fruebatur. Aliunde fieri nequit ut in deflendis admissis sceleribus et ex agnita Christi in se misericordia, qua tantis periculis ereptus est, quum alii in aeternos carceres ob pauciora peccata fuerint detrusi; fieri, inquam, nequit, ut in iis animus non aliquam degustet internam caelestemque pacem, quietem, voluptatem. En motus diversi, imo et inter se contrarii, qui in animo sese exercentis oriri debent. Hinc deterretur, ut Exercitia gravissimum onus existimet; inde allicitur, ut in eis perseveret.

Adeo id Ignatio certum erat, huiusmodi motus experiendos esse ab eo, qui serio Exercitiis incumbat, ut

vel ex una eorum carentia, coniiceret non servari in faciendis exercitiis praeceptiones ab ipso traditas. Sic enim in sexta adnotatione loquitur: «Ille, qui tradit Exercitia, quum senserit ei, qui exercetur, nullas incidere spirituales motiones in anima, ut sunt consolationes vel desolationes, neque eum agitari variis spiritibus; multum (nota verbum, non obiter et semel, sed data opera et saepius) debet eum interrogare circa exercitia.» Quid autem circa exercitia interrogare debet? Primo quidem, «An ea faciat praestitutis temporibus.» Nempe: primum, media nocte, si aetas aliave personae adiuncta permiserint; secundum, statim ac quis mane surrexerit; tertium ante vel post missam; quartum, hora vesperarum; quintum, una hora ante coenam, ut praecipitur post quintum huius primae hebdomadae exercitium. Si enim in re tam facili nolit ille, qui exercetur, Instructori sese subiicere, quomodo in difficilioribus se subiiciet. Si in modico non est fidelis, quomodo erit in magnis? Secundo, interrogandus est: «Quomodo [ea faciat].» An scilicet orationem praeparatoriam ac praeludia praemittat, an potentias ex praescripto ordine ac debita forma exerceat; an colloquia, exercitio supposita, faciat. Tertio, «An diligenter additiones observet,» neque solum in genere de omnibus, sed «Singillatim de unaquaque ex his rebus sciscitando.» En quanti faciebat Beatus Pater res istas specie tam minutas, re vero tam efficaces.

Ille igitur, qui in nullo ex his tribus peccaverit, sed omnia fideliter adimplere curat, in duplici statu reperiri potest, in desolatione aut in consolatione. Quid cum utroque agendum sit, docet Beatus Pater in adnotationibus septima, octava, nona ac decima, et in regulis de discernendis spiritibus. Et primo quidem tum de tentato ac desolato, tum de tranquillo et consolato, prae-

cipit generatim in octava adnotatione, ut iuxta eius necessitatem tradantur memoratae regulae, sive priores sive posteriores. De tentato autem speciatim agens, duplicem in annotationibus nona ac decima distinguit tentationis speciem, quarum priorem vocat quoad rem quidem «crassam,» quoad modum vero «apertam;» alteram vero «sub specie boni» factam appellat, ac proinde «subtilis» dici poterit. Priori quidem communius qui in prima hebdomada versantur, altera vero qui in secunda, tentari solent: idemque intellige de tertia et quarta hebdomada. Ei qui crasse et aperte in prima hebdomada tentatur, tradendae sunt priores de spiritibus discernendis regulae, caeteris vero posteriores, ut ibidem in nona ac decima adnotatione habetur.

§ II. QVID CVM TENTATO IN PRIMA HEBDOMADA AGENDVM

In ratione autem explicanda, qua desolatis ac tentatis, in prima potissimum hebdomada, speciales cuique regulae tradendae sunt, miram suam artem ostendit Ignatius, ut patet in quinque veluti praeceptionibus, quas in septima adnotatione Instructori tradit. PRIMA est, ut non exspectet certiorem se fieri de desolatione a desolato, sed acriter attendat, ut ex specie externa, puta ex vultu subtristi, ex tardo incessu, aliisque exterioribus signis, interiorem hominis pugnam divinare. Id enim videntur significare verba illa Beati Patris: »Ille, qui tradit Exercitia, si VIDEAT, eum, qui ea recipit, esse desolatum ac tentatum,» etc. «Si videat,» inquit; non autem «Si a tentato cognoverit, audiverit.» Verum quidem est, ut habetur in decima septima adnotatione, «Multum conducere, ut qui tradit Exercitia.... fideliter certior fiat de variis agitationibus et cogitationibus, quas diversi spiritus ei (qui accipit) immittunt; quia

secundum maiorem aut minorem eius profectum potest ei tradere quaedam exercitia spiritualia convenientia, et conformia necessitati animae huiusmodi sic agitatae;» attamen quoniam vel ipse tentatus, maxime initio, quando tentari incipit, vix suum ipse statum agnoscat; multo convenientius est, ut ab Instructore, internam illam pugnam subodorante, erudiatur de ipsa desolationis notione; ut desolatus audiens se describi in illa explicatione, sponte fateatur, sese in illo statu inveniri. Postquam vero in consolationem venerit, poterit Instructor dicere, coniectum se fuisse ex signis exterioribus internam animi desolationem, eamque esse huiusmodi, ut foras se prodat saepissime, nec ipso desolato cogitante: ex quibus intelliget, melius esse, ut sponte se manifestet, si forte iterum in desolationem incidat, quum occultare non possit. Tunc vero legi poterit ei decima septima adnotatio, in qua de spontanea hac a diversis spiritibus immissarum cogitationum aperitione sermo est. Cavendum tamen Instructori, ut ibidem docet Ignatius, ne «Intendat percunctari neque scire propria eius, qui exercetur, cogitationes et peccata,» sed eas solummodo «Agitationes et cogitationes, quas diversi spiritus ei immittunt.»

Secvnda praeceptio, quae in septima adnotatione traditur est, ut cum desolato ac tentato «Non se exhibeat illi durum neque asperum, sed blandum ac suavem.» Secus oneri onus addet: daemoni eum permittet, ut deterreat a bono, ut ad malum pertrahat, et fortasse in desperationem agat.

Tertia: immo e contrario ei consulat, «Addendo animum ac vires in posterum.» Ad hoc autem praestandum, magnopere conferunt quatuor primae regulae de dignoscendis spiritibus huius hebdomadae primae propriae. Ex prima enim intelliget, illas carnis illecebras

sensuumque delectationes, quae dum antea vel peccatum peccato addebat, vel de rebus spiritualibus ac de perfectione obtinenda minime cogitabat, obiiciebantur, a daemone obiici, ut peccatis irretitus teneretur, et in aeternum detruderetur exitium: ut vero a peccato deterreretur, bonum angelum assidue pupugisse, remorsusque in conscientia «per synderesin rationis» excitasse. Contrariam viam teneri ab utroque spiritu cum illis, «Qui intense procedunt in purgandis peccatis, et in servitio Dei Domini nostri de bono in melius ascendunt,» docebitur in secunda regula. Ibique perspicue cognoscet, se sub influxu pravi spiritus versari, cuius proprium esse videbit «Mordere, tristitia afficere, et ponere impedimenta, inquietam reddendo [animam] per falsas rationes, ne pergat ulterius.» Ex quibus illud profecto inferet, se unum esse ex illis, qui non modo peccata sua purgant, sed qui «Intense procedunt in purgandis suis peccatis;» neque id solum, sed ad eos se pertinere, qui «In servitio Dei Domini nostri de bono in melius procedunt.» Id autem fieri non potest ut non «animum et vires addat,» non in tempore solum quo desolatus est ac tentatur, sed «in posterum» etiam, quoties denuo huiusmodi agitationibus pulsetur. Idipsum eruetur ex tertiae potissimum et quartae regulae explanatione. In quarta enim statum praesentem depictum mirabitur; in tertia autem, aut praecedentem, (verisimile enim est, ut consolationem expertus iam sit,) aut mox futurum, quando iterum orietur splendidum consolationis lumen. Suadebitur praeterea colluctationem illam, quam intra se experitur, non esse quid sui proprium, insolitum, novum, sed rem universis communem, qui sese ad meliorem frugem recipiunt; rem tritissimam, de qua istae regulae, docente experientia, perscriptae sunt; rem tandem adeo, paene di-

xerim, optandam, ut eam expetere, potius quam expellere, oporteat, quum indicium sit, se recte et ad mentem Sancti Ignatii procedere in faciendis Exercitiis: iuxta quem vel una eiusmodi agitationum absentia sufficiens indicium est incuriae ac negligentiae in earum praeceptionum observatione, quae ad rite obeunda Exercitia praescribuntur. Quae quidem omnia animum etiam viresque addunt.

Qvarta praeceptio agit de «Detegendo illi (qui in desolatione ac tentatione est), astutias inimici naturae humanae.» Nam is est inimicus iste, ut more canis ferrea catena vincti, «Latrare quidem possit, iuxta Augustinum [1], morderé vero non possit nisi volentem:» utque docet Bernardus, tam debilis est, ut non vincat nisi volentem. Quum igitur vires ei deficiant, ad astum se confert. Triplici autem ratione artem suam antiquus ille hostis exercet. Primo quidem, ingentes edendo latratus, ut ex latratuum vi existimetur viribus potentissimus, ac metuatur. Solvit Ignatius hanc callidi hostis astutiam, eum assimilando debili mulierculae cum viro rixanti. «Duodecima, ait, inimicus facit se [gerit se] ut foemina, in quantum est [ipse] debilis quoad vires, et fortis quoad voluntatem. Nam sicut proprium est foeminae, dum rixatur cum aliquo viro, perdere animum, capiendo fugam, quando homo ei audenter resistit; et e contrario, si vir incipit fugere perdendo animum, ira, vindicta et ferocia foeminae est valde magna et adeo sine mensura; eodem modo proprium est inimici viribus destitui et animum perdere, quando ille, qui se exercet in rebus spiritualibus, audacter se exponit tentationibus inimici faciendo oppositum e diametro. Et e contrario, si qui se exercet incipit timere et perdere

1 De Civ. Dei, L. VIII, cap. 8.

animum in patiendis tentationibus, non est bestia adeo efferata super faciem terrae, ut [est] inimicus humanae naturae in prosequutione perversae suae intentionis cum adeo magna malitia.» Vbi non modo inimici natura moresque aptissime depinguntur, verum ipsa descriptionis lectione animus erigitur, videntur vires excitari, tempusque desiderari pugnae et colluctationis.

Deinde vero suam daemon obtegit impotentiam, curando ut solus cum solo res geratur: solus, inquam, callidissimus serpens, in sua arte iamdiu exercitatissimus, cum solo, huiusmodi pugnarum inexperto atque ignaro. Artem detegit Ignatius, hominem assimilando ingenuae simplicique filiae ac honestissimae uxori. «Sic etiam se gerit, inquit in decima tertia regula, ut vanus amator, in quantum vult esse secretus et non detegi. Nam sicut [talis] homo vanus [falsus] qui loquens ad malum finem, allicit [sollicitat] filiam aliquam alicuius boni patris, vel uxorem boni mariti, vult ut verba sua et suasiones sint secretae; et contra, displicet ei summopere, quando filia patri, vel uxor marito detegit vana [fallacia] eius verba et intentionem pravam, quia facile colligit, fore ut non possit rem inceptam ad finem perducere: eodem modo, quando inimicus naturae humanae ingerit animae iustae suas fraudes et suasiones, vult ac desiderat ut recipiantur et teneantur in secreto; sed quando [illa] eas detegit bono suo confessario, vel alteri personae spirituali, quae cognoscat suas fraudes ac malitias, valde ei displicet: quia [hinc] infert, fore ut non possit malitiam suam, quam inchoarat, perficere, quum detectae sint suae fraudes manifestae.» En fraudem hostilem non detectam modo, sed facillima ratione vitandam. Inde hausisse videtur Ignatius maximam illam atque utilissimam constitutionem de ratione conscientiae in Societate Superioribus reddenda.

Tertiam denique diabolicam astutiam hisce verbis explicat Beatus Pater. «Decima quarta: sic etiam [gerit se] ut belli dux, ad vincendum ac depraedandum id, quod desiderat. Nam sicut belli dux et caput exercitus, castra ponendo et explorando vires ac dispositionem arcis alicuius, eam impugnat ex parte debiliori; eodem modo inimicus humanae naturae circumiens explorat omni ex parte virtutes omnes nostras theologicas, cardinales et morales: et ex qua parte nos reperit debiliores et egentiores pro nostra aeterna salute, ea parte nos impugnat, et procurat nos expugnare.» Quid autem aliud hic admonemur, nisi ut quam hostis impetit partem arcis debiliorem, hanc nos robustioribus munimentis firmemus et custodiamus? Quanta, quam perspicua, quam solida utilisque doctrina in opportunissimis hisce captuque facillimis similitudinibus latet!

Neque satis se fecisse existimavit Ignatius, si hostis calliditatem aperuerit, artemque doceret astutiarum diabolicarum evitandarum: sed Qvintam addit praeceptionem, iuxta quam Instructor curare debet, ut tentatus desolatusque «Se praeparet ac disponat ad futuram consolationem.» «Neque enim, ut sapienter notat P. Roothaan, Directoris est, disponere eum, qui exercetur, ad consolationem, sed illius ipsius est se disponere; utque hoc faciat, Directoris est efficere, hortando, monendo, instruendo,» etc. Quaenam autem monenda, hortanda, docenda sint, late persequitur Ignatius in regulis quinta, sexta, septima, octava et nona, ubi documenta tradit caelestis prorsus sapientiae plena.

In primis enim, «Tempore desolationis, ait in quinta, numquam mutatio facienda est, sed standum firmiter et constanter (nota adverbia emphatica) in propositis ac determinatione, in qua erat in praecedenti consolatione.» Quis enim audiat nequissimum inimicum con-

traria suadentem eis, quae benevolentissimus amicus persuaserat? Atqui «Sicut in consolatione nos magis ducit et consilio suo dirigit bonus spiritus, ita in desolatione malus; cuius consiliis non possumus ingredi viam ad recte quid agendum.»

Immo vero, non solum «In desolatione, ut dicitur in sexta regula, non debemus mutare priora proposita,» sed «Valde iuvat mutare se contra ipsam desolationem.» Quid autem est mutare se contra ipsam desolationem? Si orationem, si meditationem, si examen, si poenitentiam fastidias, muta te «Insistendo magis orationi, meditationi, multum examinando, et extendendo te magis in aliquo convenienti modo faciendi poenitentiam.» Convenienti, ait, id est, nobis, nostroque statui et complexioni accommodato. Idipsum de tempore meditationis protrahendo, nedum, praesente tribulatione, decurtando, statuerat in tertia decima adnotatione. Nam, «Sicut tempore consolationis facile est ac leve durare in contemplatione per horam integram, ita desolationis tempore valde est difficile illam explere.» Quid ergo? Recedendumne ab oratione ante expletum tempus? Contrarium omnino. «Idcirco, subdit, is qui exercetur, ad agendum contra desolationem et ad tentationes vincendas, debet semper (dum tentatio desolatioque videlicet perseverant) durare aliquantulum ultra horam completam: ut non solum assuescat resistere adversario, sed etiam illum prosternere.» Neque id consilii ad solum tentationis tempus restringendum esse, sed ad omne tempus, in quo dulcedo consolationis non reddat «Facile ac leve durare in contemplatione per horam integram,» docuerat in adnotatione praecedenti. «Procuret, ait, semper, ut animus contentus maneat recogitando (i. e. eo quod sibi conscius sit) perdurasse horam integram in [illo] exercitio.» Tota vero huius

consilii causa eadem est: «Nam inimicus, ait, non parum solet procurare, ut hora contemplationis eiusmodi, meditationis, vel orationis decurtari faciat.» Ecce quam fortes milites instituat Ignatius! Quibus sane parum sit mera resistentia ac defensio; sed maiora audeant, hostemque offendant, profligent, penitus prosternant.

Neque vero virium tenuitatem obiiciant: is enim est Deus, sub quo stipendia merentur, ut quamvis nonnumquam uberius illud gratiae auxilium subtrahat, quod in sensibilem consolationem redundat; numquam illo nos destituit subsidio, quo certe obsistere valeamus: illud autem ideo subtrahit aliquando experimenti causa, ut nostram tentet strenuitatem. Ille ergo, ut septima regula habet, «Qui est in desolatione, consideret quomodo Dominus ipsum reliquerit, probationis gratia, in suis potentiis naturalibus, ut resistat variis agitationibus et tentationibus inimici: potest enim [resistere] cum auxilio divino, quod semper ipsi manet, licet aperte illud non sentiat [sibi adesse]: quia Dominus subtraxit ipsi multum suum favorem, magnum amorem [sensibilem] et gratiam intensam, manente tamen ipsi gratia, quae sufficiat ad salutem aeternam,» ac proinde ad vincendas tentationes atque ad obstacula superanda.

§ III. DE CAVSIS DESOLATIONIS

Denique ut totam hanc de tentatione ac desolatione tractationem absolvat, earum causas breviter exponit, finemque docet, quem in illis permittendis Deus sibi constituit. Causa ergo, inquit in nona regula, «Prima est, quia sumus tepidi, et pigri seu negligentes in exercitiis nostris spiritualibus:» tepidi, inquam, quia non ea animi, quae par est, contentione exercitii formam, ad-

iectasque additiones servare nitimur; pigri vero seu negligentes, nonnulla praetermittendo, sive quod servatu difficilia videantur, sive quod tamquam res minutas ac nullius ponderis utilitatisque, negligamus. «Atque ita ob culpas nostras elongatur spiritualis consolatio a nobis.» Et iuste quidem elongatur: nam etsi eiusmodi culpae non sunt peccatum, quum ad illas additiones, atque ad illam alibi praescriptam nosmet exercendi formam non ex praecepto obligamur: attamen quia nos liberales erga Deum non sumus, liberalem eum erga nos nequaquam experimur. Vnde non dicit Beatus Pater, hanc ob causam accidere nobis desolationem, sed «Consolationem a nobis elongari:» ex qua sane elongatione, quid aliud evenire poterit nisi ut labore exercitiorum obruti, in desolationem tentationemque incidamus?

At quoniam fervidis quoque ac strenuis desolatio saepe contingit, duplicem aliam adiecit causam, utramque ab omni nostra culpa alienam. «Secunda, inquit, ut probet nos [Dominus] quantum valeamus, et quousque procedamus in eius servitio et laude, absque tanto stipendio consolationum et magnarum gratiarum.» Videlicet experiri nos vult Deus, utrum ea, quae pro Christo agere in posterum recogitabamus, ex sincera voluntate ei retribuendi procederent; utrum potius ex stipendii cupiditate, quam ex ducis amore, in pugnam nos coniiceremus; utrum divinum obsequium ac laudem, et non potius nostram consolationem, exquireremus.

Tertia tandem causa est, «Vt det nobis veram notitiam et cognitionem, qua intime sentiamus, non esse ex nobis acquirere vel retinere magnam devotionem, amorem intensum, lacrymas, neque ullam aliam consolationem spiritualem.» Nota emphatica verba: «ve-

ram,» non modo «notitiam» quandam genericam, sed «et cognitionem» seu intuitionem, qua praeter intellectus plenam convictionem, «sentiamus,» propria experientia edocti, et penitus seu «intime» sentiamus haec duo: prius «acquirere;» alterum, postquam concessa nobis gratuito divinitus fuerit, «retinere, magnam devotionem» etc. Quam alte animo defixam hanc veritatem Ignatius cupiebat! Nempe «Totum illud est donum et gratia Dei.» Totum absolute, nulla omnino parte seclusa. Quid ita? «Ne in alieno nidum ponamus,» id est, iuxta sensum proverbialis huius loquutionis, «Ne quod alienum est, ait P. Roothaan, nobis ut proprium usurpemus, atque ita securitatem capiamus ibi, ubi capienda non est; ut qui in aliqua domo sibi habitationem figeret, exturbandus scilicet inde, quum domino domus visum fuerit.» In alieno autem nidum ponemus, si «Efferremus intellectum in aliquam (quantumvis videlicet tenuem ac parvam) superbiam vel vanam gloriam, attribuendo nobis ipsis devotionem vel caeteras partes spiritualis consolationis.»

En gravissima documenta quibus admonendus hortandusque est ille, qui tentatione pulsatur, ut ad futuram pacem consolationemque se praeparet ac disponat. Quoniam autem ipsa consolatio suis profecto periculis non caret, hanc de diversorum spirituum motibus tractationem absolvit, aptissima documenta afferendo, quibus per consolationis etiam viam tutissime procedatur.

§ IV. RATIO AGENDI CVM EO TENENDA, QVI CONSOLATIONE FERTVR

In primis ergo pro comperto habens, fore ut post consolationem veniat iterum desolatio, haud aliter quam perpetua vicissitudine noctes sibi diesque continenter

succedunt, admonet in decima regula ut «Ille, qui est in consolatione, cogitet quomodo se habebit in desolatione, quae postea superveniet, sumendo novas vires pro illo tempore.» «Novas, inquit, vires,» quae quidem si illis adiiciantur, quas tempore desolationis per media illi statui praescripta, acceperit, illud eveniet, ut magis paratus ac dispositus inveniatur, quando superveniat desolatio. Cogitandum igitur ei est de futura desolatione, eaque iam nunc admittenda est tamquam occasio a Deo sibi offerenda, in qua erudiatur, in qua ostendat quam pure ac sine mixtione stipendii consolationum optet Dei obsequium ac laudem quaerere; itaque illud saltem obtinebit, ut, coorta tentationis procella, non animum despondeat.

Praeterea, ne tempore consolationis in superbiolam aliquam vanamve gloriam efferatur, «Procuret, ait in regula undecima, humiliare sese atque deprimere,» non quomodocumque, sed «Quantum potest.» En quanam arte prospera adversis, vel saltem adversantium cogitatione, permiscenda ac temperanda curet; quemadmodum prius adversa per prosperitatis spem et cogitationem sublevanda ac delenienda docuerat. Inde enim orietur aequabilis quaedam ratio vivendi, iuxta quam neque laetis successibus extollamur, neque deiiciamur tristibus et adversis. Causa vero sese humiliandi sit recordatio propriae imbecillitatis, quam instante desolatione expertus quisque est. «Cogitando, ait, quam parum valeat tempore desolationis sine illa tali gratia seu consolatione.»

Huc denique pertinent quae in adnotatione decima tertia Instructori commendantur: nimirum, «Si videat eum, qui (Exercitia) accipit, in consolatione et cum multo fervore procedere, debet praemonere, (antequam ille possit ea exsequi, quae hic attinguntur), ne promis-

sionem aliquam faciat nec votum aliquod inconsiderate ac praecipitanter. Et quanto magis eum cognoverit levis indolis esse [seu instabilem], tanto magis debet illum praemonere et admonere,» id est, tanto maturius obviare ac praevenire, et tanto efficacius persuadere debet. Et ratio est, quae ibidem affertur. Nam «Attendenda est propria conditio et subiectum [eius, qui facit Exercitia], et quantum possit invenire auxilii vel impedimenti in explenda [deinceps] ea re, quam vellet promittere.»

Vbi notatu dignum est exemplum, duplex quod heic affert Beatus Pater. Nam prius est de promissione aut voto religiosi status amplectendi: quasi putaret, vix fieri posse, ut qui exercitia primae huius hebdomadae ad eius mentem faceret, contineat se, et non cupiat mundo valedicere et familiae alicui religiosae cooptari, ut vitam ibi degat emissis votis paupertatis, castitatis et obedientiae. Alterum vero exemplum est de re voto promissa: id quod etiam perfectionis desiderium studiumque innuit. Ipse vero non simpliciter vetat, ne promissio de re meliori aut votum fiat, sed ne «inconsiderate ac praecipitanter» fiat. Quum enim res sit gravissimi momenti, consideratione et maturitate opus est, praesertim si qui se exercet levioris est naturae: quod si vir gravis et prudens sit, qui debita cum consideratione ac maturitate se gerat, non erit quod votum emittere non sinatur. At quia in secunda hebdomada animus dedita opera ad recte de statu vitae deligendo praeparatur, consultius erit, si in illud tempus ista deliberatio reiiciatur.

Simile aliquid in sequenti decima quinta adnotatione continetur, ubi idem exemplum adhibet Beatus Pater, nimirum, de religioso vitae statu amplectendo. Instructorem vero admonet ne eum, qui se exercet, ad ullum

etiam perfectius vitae institutum inclinet, dum ille Exercitiis vacat; sed eum Deo permittat, «Vt ipse Creator ac Dominus animae suae [sibi] devotae se communicet, eam amplexans in suum amorem ac laudem, eamque disponens ea via, qua melius poterit ei deinceps servire» etc.

CAPVT XI

EXERCITIVM DE REGNO CHRISTI

Antequam finem exquiramus, quem Beatus Pater in exercitio de regno Christi homini consequendum proponit; operae pretium erit, internam animi dispositionem prae oculis habere, quam sese exercens affert ad optatum fructum eliciendum. Porro haec animi dispositio duplici ex capite cognosci potest. Primo quidem ex iis, quae homo de seipso, deinde vero ex iis, quae de Christo Domino sentit.

Quid autem de seipso sentiat homo, qui reum se temporalium omnium aeternarumque poenarum agnoscit, quas profecto poenas non semel, ut angeli rebelles, ut protoparentes, ut alii multi, qui iam aeternis cruciatibus addicti sunt, sed saepissime promeruit: qui se ulcus foedissimum et apostema spectavit, ex quo ingens sanies peccatorum, ingensque vitiorum turpissimorum lues defluxerit; qui tanti mali causam agnoscit vitae superbiam, effraenatam carnis concupiscentiam, insanum mundi suique ipsius caecum amorem, quibus sane adeo misere deceptus est, ut pro mundano, quem illa pollicebantur, honore, supremam ignominiam ac dedecus sibi attulerit, et per fluxas brevissimasque corporis voluptates, quas aucupatus est, in acerbissimas aeternasque poenas se conieccrit? Quamobrem si sapiat, si sui ipsius non infensus hostis, sed

benevolus in posterum amicus esse velit, quid aliud ei reliquum est, nisi ut peccatum totis animi viribus detestetur, ut vel eius umbram perhorrescat, ut deordinatas affectiones, carnis, inquam, concupiscentiam et superbiam vitae cum omni mundano amore, quae in tantum exitium pertulerunt, acri contentione coerceat, penitusque, si fieri possit, eradicet?

Haec sunt quae de se ipse peccator sentit. Quid autem est ei de Christo sentiendum, a quo ab aeternis inferorum cruciatibus, saepius promeritis, liberatus est, quum multi, immo innumeri, alii in teterrimum illum carcerem demersi fuerint; quem vidit universis creatis rebus in se sceleratum, vindictae causa, irruentibus, prohibentem ne conficerent, ut ei ministrarent imperantem; quem cruci affixum spectavit, miratusque est quomodo «Creator quum esset, eo devenerit, ut hominem se fecerit, et ab aeterna vita [venerit] ad mortem temporalem, et ita ad moriendum pro suis peccatis;» cuius denique benignissimam clementiam vereque paternam charitatem in generali confessione paulo ante expertus est?

Homini ergo talia agnoscenti, talia intra sese recogitanti, ab ante acta vita summopere abhorrenti, cuius in auribus adhuc voces illae resonant «Quid agere debeam pro Christo,» proponit Beatus Pater hunc ipsum tam misericordem Dominum, cupidissimum monstrandi unam, quae restat, bene vivendi viam, in sui imitatione consistentem: idque efficit in exercitio de regno Christi.

Fructus autem, qui ex hoc exercitio capiendus est, firmum est ac efficax propositum explendae divinae voluntatis de Christo Domino imitando; absolute quidem, in perfecta divinorum praeceptorum custodia; conditionate vero, si nempe eligatur, in observatione praeterea consiliorum omnium evangelicorum.

Absolutum illud propositum continetur, *primo*, in puncto prioris partis secundo, ubi Rex temporalis. «Loquitur ad OMNES suos,» neminem excludens, iisque dicit: «Mea voluntas (absolute) est subiicere universam terram infidelium: proinde qui voluerit mecum venire, debet» (me imitari, seu quod idem est), «contentus esse cibo, quo ego [utar], itemque potu et vestitu, etc.: similiter debet laborare, ut ego, interdiu, et vigilare noctu,» etc. Continetur *deinde* in primo puncto alterius partis, quod secundo prioris respondet: « Mea, inquit, voluntas est, subiicere totum mundum et omnes inimicos,» etc.

Ad firmitatem efficaciamque huiusmodi propositi consequendam, iubemur in secundo praeludio, «Petere gratiam a Domino nostro, ut ne simus surdi ad eius vocationem, sed prompti et diligentes ad explendam eius sanctissimam voluntatem,» sive ea ad sola praecepta, sive ad praecepta simul et consilia referatur. Praeterea in tertio puncto prioris partis, «Considerare, ait, quid debeant respondere boni subditi (quales sunt qui paulo ante peccata sua acriter planxere) Regi tam liberali ac tam humano: et per consequens si quis non acceptaret petitionem talis Regis, quantopere dignus esset, qui vituperaretur ab universo mundo, et perversus haberetur eques.» Denique in secundo posterioris partis puncto, ubi dicitur: «Considerare quod omnes, qui habent iudicium et rationem [sanam], offerent se totos ad laborem.» Cui enim ista proponuntur? Homini videlicet, qui tot malis a Christo ereptus est; homini, qui ab ante acta sua vita omni animi contentione adhorret; homini sciendi cupidissimo «Quid agere debeat pro Christo,» ut simul ac cognoverit, ad opus se accingat. Ergo aut homo esse desiit, aut si homo adhuc sit, non potest quin se totum ad laborem offerat.

Tandem propositum conditionatum evangelicorum consiliorum amplectendorum habetur in tertio puncto posterioris partis.» Ii, qui magis, inquit, affici volent et insignes se exhibere in omni servitio sui Regis aeterni ac Domini universalis, non solum offerent se totos ad laborem (prout se offerebant BONI illi subditi), sed etiam agendo contra suam propriam sensualitatem et contra suum amorem carnalem et mundanum oblationes facient maioris aestimationis et maioris momenti.» Quaenam autem erunt eiusmodi oblationes? Imitandi videlicet Christum «In ferendis omnibus iniuriis, et omni vituperio, et omni paupertate, tam actuali, quam spirituali.» Quoniam vero non omnium, sed ad hoc electorum dumtaxat, est ea tam perfecta Christi imitandi ratio, ideo conditionem subiungit, «Si Maiestas tua sanctissima voluerit me eligere ac recipere ad talem vitam et statum,» seu quod nuper ibidem dixerat, idemque sonat, «Dummodo sit maius servitium et [maior] laus tua.»

Cuius etiam propositi firmitas efficacitasque ex emphaticis illis conglobatisque vocibus infertur: «Ego volo, et desidero, et mea [haec] est determinatio deliberata, dummodo, etc.» Vnde voluntas haec ex parte quidem proponentis est absoluta; conditionata vero ex parte solummodo admittentis, seu eius, cui fit promissio; redditque hunc sensum: una ratio te in hac perfectione non imitandi, erit quia tu me ad eam imitationem perfectissimam non eliges: quantum enim ex me est, ego paratus sum et promptus ad eam ineundam.

In hoc exercitio de regno Christi nonnulla notanda occurrunt. PRIMVM est, nondum illud ad secundam hebdomadam pertinere. Primum enim secundae hebdomadis exercitium est contemplatio de Incarnatione: ita

enim inscribitur: «Prima dies et prima contemplatio est de Incarnatione.» Exercitium ergo de regno Christi potius haberi debet tamquam subsequentium trium hebdomadarum principium ac fundamentum. Nam si fructus hic intentus consideretur, patet eum nullum alium esse, quam efficax propositum Christi imitandi. Quum autem in actuali providentia, imitatio Christi sit illud unum, quod homini «Magis conducit ad finem, ob quem creatus est,» seu ad serviendum Deo; sequitur, illud quod generatim statuitur in fine Principii et Fundamenti, ita magis particulariter efferri posse: «Vnice desiderantes et eligentes ea, quae nobis magis conducant ad Christi Domini imitationem.»

Secvndvm est, verbis illis, quae leguntur in secundo praeludio, «Petere gratiam a Domino Deo nostro, ut ne sim surdus ad eius vocationem,» satis Beatum Patrem innuere, totam difficultatem audiendae divinae vocationis, non inde profecto repetendam esse, quod suam Deus voluntatem vel non declaret vel obscure significet, sed ex hominis surditate, eaque voluntaria. Humanus enim ille Rex in secundo puncto prioris partis exhibetur alloquens «Ad omnes suos;» in primo autem puncto partis alterius coram Christo Rege aeterno sistitur «Vniversus mundus, quem ille [totum] et unumquemque [hominum] in particulari vocat.»

Tertivm est, universos omnino homines christianos ad hanc militiam evocari, atque ad aliquam saltem evangelicorum consiliorum observationem. Rex enim ille loquitur «Ad omnes suos;» aeternus autem Rex «Ad universum mundum.» Vt autem docet S. Leo [1]: «Dominus in exhortationibus suis, ait: «Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.» Nec

1 Serm. IX de Quadragesima.

dubitare debemus, hanc vocem non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles totamque Ecclesiam pertinere, quae salutare suum in his, qui aderant, universaliter audiebant. Sicut ergo totius est corporis pie vivere, ita totius est crucem ferre: quae merito ferri unicuique suadetur, quia propriis modis atque mensuris ab unoquoque toleratur.»

Qvartvm est, proponi in hoc exercitio motivum operandi hinc quidem nobilius quam in prima hebdomada, inde vero minus nobile quam in secunda. In prima namque hebdomada homo a peccando deterrebatur tum ex confusione ac rubore, tum ex ipsa peccati foeditate, tum denique ex poenarum timore; quae omnia sunt motiva declinandi a malo. In secunda vero hebdomada iubebimur in omni contemplatione intimam poscere Christi incarnati cognitionem, ad eum magis diligendum; quod sane charitatis motivum est. Hic autem proponitur spes mercedis, ut bellum aggrediamur. In primo enim puncto secundae partis dicitur: «Proinde qui voluerit venire mecum, debet mecum laborare, ut sequens me in poena [in laboribus], etiam sequatur me in gloria.» Et in secundo puncto prioris partis: «Similiter, ait, debet laborare ut ego interdiu, et vigilare noctu, etc., ut ita dein particeps mecum fiat victoriae, sicut fuerit laborum.» Quod si ponderare iubemur «Quantopere dignus esset qui vituperaretur ab universo mundo et perversus haberetur eques» ille, qui «Non acceptaret petitionem talis Regis,» supponitur tamen neminem fore adeo ignavum, qui militiam detrectet: unde in secunda exercitii parte nulla eiusmodi impudentissimi militis fit mentio.

Qvintvm est, hactenus in tota prima hebdomada nullibi Ignatium divitias et paupertatem nominasse; in hoc autem exercitio primum loqui de paupertate simul

cum duabus aliis concupiscentiis. De concupiscentia enim carnis dicit eos, «Qui magis affici volent,» acturos esse «Contra suam propriam SENSVALITATEM et contra suum AMOREM CARNALEM et mundanum:» iidemque offeruntur ad imitandum Christum Dominum «In ferendis omnibus INIVRIIS et omni VITVPERIO, et omni PAVPERTATE tam actuali quam spirituali.»

SEXTVM est, duplicem in hoc exercitio distingui christianorum hominum classem, duplicemque ipsis respondentem gradum perfectionis. Prior est eorum, quos vocat «Bonos subditos,» qui habent ad minimum «Iudicium et rationem [sanam].» Altera eorum, «Qui magis affici volent, et insignes se exhibere in omni servitio sui Regis aeterni et Domini universalis.» Cuius secundae classis proprium est «Agere contra suam propriam sensualitatem et contra suum amorem carnalem et mundanum;» praeterea vero Christum imitari «In ferendis iniuriis et omni vituperio, et omni paupertate» non affectu solum, sed etiam re: prioris vero classis est «Offerre se totos ad laborem» et Christum imitari in paupertate et humilitate spirituali, non vero actuali. De qua duplici classe et gradu in sequenti capite dicendum erit.

CAPVT XII

DE EXERCITIIS, QVAE TRIBVS PRIMIS SECVNDAE HEBDOMADAE DIEBVS FACIENDA SVNT

In praeambulo ad considerandos status, quod posuit Beatus Pater ante quartam secundae hebdomadae diem, duplicem perfectionis gradum hominumque christianorum statum diserte tradidit. «Considerato, inquit, exemplo, quod Christus Dominus dedit pro PRIMO STATV, qui consistit in observantia mandatorum, dum paren-

tibus suis obediens erat; itemque [considerato exemplo, quod idem Dominus nobis dedit] pro SECVNDO [statu], qui est perfectionis evangelicae, quando remansit in templo,» etc.

Quibus ex verbis eruitur, hanc secundam hebdomadam in duas partes divisam a Beato Patre fuisse: alteram, in qua Christus Dominus «In observantia mandatorum;» alteram vero, in qua «Perfectionis evangelicae» exemplar, imitandus proponitur. Quum autem evangelica perfectio tota consistat in evangelicorum consiliorum observatione; ad evangelica vero consilia custodienda universi christiani homines, ut praecedenti capite dicebamus, vocentur: dari non posse videtur status ille christianorum hominum, qui in mandatorum observantia consistat.

Ad huius difficultatis solutionem animadvertendum est, duplex exstare genus evangelicorum consiliorum, alterum altero perfectius. Ad praeceptum enim, verbi causa, «Non occides,» refertur non modo consilium non irascendi in fratrem, etiamsi ab eo offendamur, sed etiam consilium de diligendo inimico ac de bono retribuendo pro malo, quod sane multo est perfectius. Nam quemadmodum per consilium de compescenda iracundia tuemur praecepti de non occidendo observantiam; si enim in offendentem minime irascamur, neque vindictae cupiditate rapiemur in eius occisionem; ita pariter per consilium de diligendo inimico tuemur custodiam immediate quidem consilii de cohibenda ira, (quomodo namque irascaris in eum, quem diligas?), mediate vero, praecepti occisionem prohibentis. Ita dicendum de multis aliis consiliis. Si enim pauper sis spiritu, non furaberis: ut vero pauper reapse spiritu sis, optimum medium erit, si vendas omnia, quae habes, et pauperibus distribuas.

Prius ergo evangelicorum consiliorum genus est, quo praeceptorum observantia praemunitur: alterum vero, quo prioris huius generis consiliorum custodiam tuemur. Quamvis igitur omnis homo ad mandatorum observationem teneatur; christianus tamen homo, ad hoc ut certiorem habeat viam adimplendi praecepta divina, vocatur insuper ad consiliorum prioris generis observantiam. Quum ergo in prima hebdomada media tradiderit Beatus Pater ad deterrendum hominem a transgressione divinae legis; nunc in prima parte secundae hebdomadae hominem allicit ad divinae legis observationem, Christi Domini exempla proponendo, quibus ipse non Patri aeterno solum, sed humanis etiam parentibus obedivit.

Ideo initio secundae hebdomadae contemplanda proponit Ignatius mysteria Christi potissimum adimplentis naturale et etiam evangelicum praeceptum parentibus obtemperandi: ubi praeterea exhibentur Sacratissima Virgo Deipara, eiusque castissimus sponsus Ioseph, qui videlicet duo proxime omnium sanctissimum Filium sequuntur atque imitantur.

Porro finis horum exercitiorum praecipuus est adipisci «Intimam Domini, qui pro me factus est homo,» (qui pro me natus est, qui pro me in exsilium pellitur, parentibus, puris hominibus, subditur, Deus ipse quum sit, etc. iuxta subiectam materiam), «ut ipsum» (non modo amem, sed) «magis amem, eumque» (non modo sequar, sed) «[magis] sequar.» Nimirum cupit Sanctus Pater amorem Christi in animo excitare, ut per amorem efficacius in eius imitationem ac sequelam me conferam. Et quoniam perpetuo obiicitur Christus actus exercens profundissimae humilitatis, paupertatis extremae, perpetuae sui abnegationis et mortificationis; perinde est Christum sequi et imitari, ac ad exercita-

tionem virtutum in eo perspectarum me conferre. Ea igitur ipsa, quae in prima hebdomada cognovi praestanda esse a me, si in via veritatis incedere velim; video nunc amplectenda mihi esse, si amori Christi in me amorem etiam rependere cupiam. Duplici ergo funiculo, seu potius aurea catena, constrictum me sentio: gratitudinis, ob mala, a quibus me Christus liberavit, ea pro me peccatore in se innocente suscipiendo; et amoris, ob exempla sanctae vitae, quibus doceor, asperrimam viam aggressum ipsum fuisse pro me, ut ego eamdem, minus certe asperam, pro eo inire audeam.

Quo autem Christi exempla animum sese exercentis acrius percellant ac moveant, praecipit Sanctus Ignatius in tertio puncto contemplationis de Nativitate, ut in singulis contemplationibus totam veluti Christi vitam ob oculos sistam, quando ait: «Et post tot labores, post famem, post sitim, post aestum et frigus, post iniurias et contumelias, ut [tandem] moriatur in cruce; et omnia haec propter me.» ¡Mirabile profecto ac plane divinum artificium! Quomodo Ignatius et quam apte exercitiorum hebdomadas inter se connectit! More peritissimi imperatoris omnia semper arma ac bellica tormenta simul ad unum scopum convertit ac dirigit.

CAPVT XIII

DE DVOBVS VEXILLIS

Postquam Beatus Pater eum, qui exercetur, adduxit, ut firmissime proponeret Christum Dominum sequi atque imitari «In ferendis omnibus iniuriis et omni vituperio, et omni paupertate tam actuali quam spirituali, si Maiestas eius sanctissima voluerit illum eligere ac recipere ad talem vitam et statum,» ut habetur in col-

loquio exercitii de regno Christi; postquam etiam in hoc proposito ipsum in contemplationibus de mysteriis vitae Christi per tres primos huius hebdomadae dies confirmavit: incipit nunc illum disponere ad audiendam divinam vocationem, ex qua intelligat «In quanam vita, seu [in quo] statu divina sua Maiestas eo uti ad suum servitium velit.»

Difficultas autem divinae huius vocationis audiendae, non est iam vocandi surditas, in exercitio de regno Christi et subsequentibus satis excussa; sed fallacia inimici, vocem Christi simulantis, et vocantis ad rem specie tenus bonam seu non malam, ex qua tamen ad rem malam, immo ad omnem rem malam, sensim sine sensu, qui eam amplectitur, perduci solet. Quum vero daemon ad rem alliciat hinc quidem, ut diximus, non malam, inde vero humanae naturae iucundam; Deus autem ad rem utique bonam et optimam, humanae vero naturae repugnantem atque ingratissimam: inde fit, quod homo summo in periculo versetur deceptionis, putando divinam eam vocem, quae a fraudulento inimico emittitur.

Ideo Beatus Pater in exercitio de duobus vexillis fraudes inimici apertissime detegit, et Christi simplicitatem veritatemque exponit, quibus luculenter perspectis, error ac deceptio in re gravissima caveatur. Hic ergo est fructus praecipuus ex hoc exercitio capiendus, ut habetur in tertio praeambulo: «Rogare, inquit, id, quod volo, et erit hic, petere cognitionem fraudum mali Capitis, et auxilium, ut ab illis mihi caveam; et cognitionem vitae verae, quam ostendit summus et verus Dux, et gratiam ad illum imitandum.»

Praecipuum hunc fructum dixi, quia hunc sequitur alter in colloquio intendendus, valde eius similis, qui in colloquio de regno Christi hauriendus proponeba-

tur, illoque perfectior. Ibi namque Christum imitari statuebamus in ferendis omnibus iniuriis et omni vituperio, et omni tum spirituali tum actuali paupertate, si ad id eligeremur; hic autem diabolicis fraudibus periculisque, in quae per illas coniici timemus, exterriti, postulamus sub Christi vexillum recipi, et quidem, primo, non in OMNI generatim et universe spirituali paupertate, sed in SVMMA; secundo, in paupertate etiam actuali, et in tolerandis opprobriis et iniuriis ad magis in illis eum imitandum, si tamen divinae id Maiestati placuerit, et illa ego tolerare possim «Absque ullius peccato et [absque] disgustu suae divinae Maiestatis.» Multo namque plus est postulare ut eligar ac recipiar ad statum adeo perfectum, quam decernere illum amplecti, si forte ad illum eligar.

Priusquam ergo veniat Beatus Pater ad diabolicas fraudes detegendas, veramque Christi vitam ostendendam; illud tamquam certum constituit, universos homines sollicitari, a daemone quidem, ut velint sub suo vexillo militare, a Christo autem, ut sub suo. Ita habetur, primo, in historia seu primo huius exercitii praeludio. «Quomodo, ait, Christus vocat et vult omnes [congregare] sub suum vexillum, et Lucifer contra sub suum.» Patet deinde ex secundo puncto. «Considerare quomodo convocationem facit (Lucifer) innumerabilium daemonum, et quomodo illos spargit, hos in talem civitatem [mittens], et illos in aliam, atque ita per universum mundum, nullas omittendo provincias, [nulla] loca, [nullos] status [seu nullas conditiones hominum] nec personas ullas in particulari.» Itemque in altera parte: «Considerare quomodo universi mundi Dominus eligit tam multas personas, Apostolos, Discipulos, etc. et eos mittit per universum mundum, spargendo sacram suam doctrinam per omnes status et conditiones personarum.»

Vbi notatu dignum est, qua arte Beatus Pater daemonibus, a Lucifero missis, opponat a Christo missos non quidem angelos, etsi reapse mittuntur, sed homines, Apostolos, Discipulos, etc. Inde enim suspicari potest ille, qui haec meditatur, fieri utique posse ut etiam ipse non modo ad evangelicam simpliciter, sed ad apostolicam etiam perfectionem evocetur. Idque eo erat hic magis necessarium innuere, quo minus in praecedentibus contemplationibus suspicari licebat, ubi Christi Domini imitatores spectabantur sanctissimi eius Parentes, Beatissima dumtaxat Virgo Deipara, eiusque sanctissimus sponsus Ioseph. Quo autem propriae indignitatis persuasio a tantae vocationis dignitate minus deterreat, et divinae vocationi, (si forte Deo vocare placeat,) minime pariat impedimentum; mox in exercitiis septima huius hebdomadae die faciendis, Apostolorum vocatio consideranda proponitur, in qua tria haec a Beato Patre perpendere iubemur: «Primum, quomodo Apostoli erant rudis et abiectae conditionis; secundum dignitas, ad quam fuere [et quidem] tam suaviter vocati; tertium, dona et gratiae, quibus fuere elevati supra omnes Patres novi et veteris testamenti.»

Iam Luciferi fraudes in tertio prioris partis puncto deteguntur, vera autem Christi vita in tertio puncto partis alterius proponitur. Idque PRIMO quidem, quantum attinet ad obiecta seu res, ad quas uterque vocat. Et sane Lucifer suos admonet, ut hominibus iniciant «Retia et catenas:» retia, quibus initio, ipsis nequaquam advertentibus, obducantur, obvolvanturque; postea vero quam irretiti fuerint, catenis fortissimis obligentur ac vinciantur; ita «Vt primo tentare [eos] debeant cupiditate divitiarum,... quo facilius perveniant ad vanum honorem mundanum, et inde ad magnam superbiam.»

Sapientissime Ignatius cupiditatem divitiarum «retia» nominavit. Quemadmodum enim avis, piscis, fera, si retibus occludantur, capti utique sunt, captos tamen se minime sentiunt, tumque vero sentiunt, quando aufugere tentant; ita homo, divitiarum amore, quantumvis illae honeste adquisitae sint, et ad honestos usus conserventur, reapse capitur atque intricatur, quin captum se agnoscat; agnoscet tamen mox ut extricare se velit, divitias abiiciendo. Quod si eas abiiciendo, possessarum divitiarum cupiditatem non auferat, augebitur abs dubio ipsa cupiditas: praetextu enim alendae vitae, providendi in posterum, et fortasse succurrendi miseris, largiendi eleemosynas, piorum operum promovendorum, ipsiusque divini cultus provehendi, facile sibi persuadebit divitiarum, etiam plurimarum, adquisitionem, licitam esse atque honestam, animusque ad eas sensim sine sensu afficietur, inordinate afficietur, eas per se amabit, in proprios, eosque superfluos, nedum necessarios, usus expendet, unde in vani mundanique honoris cupidinem abibit. En quo pacto tenuia retium fila in catenas, auratas quidem, at ferreis fortiores, commutantur. Ex vano enim honore in superbiam deveniet, a qua in alia vitiorum genera omnia praeceps fit decursus.

Secvnda ratio dignoscendarum diabolicarum fraudum, veraeque vitae a Christo oblatae, repetitur ex ipsa vocantium persona, et ex effectu, quem utriusque vox in animo vocati producit. Docet id Beatus Pater in secundo praeambulo, fusiusque in primo puncto utriusque partis explicat. De Luciferó enim: «Imaginari, inquit, ac si sederet Caput omnium inimicorum in magno illo campo Babyloniae, velut in magna quadam cathedra ignis et fumi, in figura horrenda atque terribili.» In quae verba sapienter P. Roothaan: «Cathedra, inquit,

fingitur ex igne et fumo conflata, in qua soliditatis nihil, nihil veri splendoris, sed mera agitatio ac turbatio perpetua cum densa caligine coniuncta. Haec porro imago spiritum malum exhibet qualis est, non tamen qualem se mentibus hominum obiicit: quum enim sit inimicus naturae humanae, specie tenus amicum se fingit, et ideo fraudes texit, obiecta spe fallaci divitiarum, honorum, etc. Ast, quantumvis fingat, sese tamen prodit in effectibus, quos eius operationes seu motiones in anima producunt, qui in hac imagine Luciferi mirabiliter adumbrantur: Babylonia, confusio; cathedra, superbia; ignis, commotio absque quiete; fumus, tenebrae; denique horror, nec solum horror, sed etiam terror, quae duo non sunt synonyma.»

Contraria plane omnia in bonorum duce Christo Domino. «Considerare, ait, quomodo Christus Dominus noster se sistit in magno campo illius regionis Hierusalem in loco humili, speciosus et amabilis.» Cuius quidem ratio agendi et vocandi, et effectus in animo audientis productos, vide, sis, inferius in explicatione regularum de dignoscendis spiritibus secundae huius hebdomadae propriarum.

Quum igitur diabolicae fraudes tam sint subtiles atque abstrusae, eaeque, quibus si decipiar, in superbiam ferar, ex ea vero in omnia vitia et peccata, a quibus omni animi viriumque contentione abhorrendum in prima hebdomada decrevi; efflagitanda mihi est divina illustratio ad detegendas huiusmodi fraudes, itemque auxilium, ut ab illis mihi caveam. Neque vero id satis est: latet enim in animo insita inclinatio atque affectio ad ipsa fallacia bona, ad quae me allicit callidus inimicus; ingenita pariter aversio a rebus illis, in quibus verus animae amicus Christus Iesus, veram vitam constituit. Enixe ergo contra duplicem hanc inordinatam

affectionem agendum mihi est; ideoque instantissime postulandum ut eligar ad summam, quae concipi possit, spiritualem paupertatem: immo vero, si divinae Maiestati placuerit, ad actualem, et ad opprobriorum iniuriarumque tolerationem: idque per sollemnem illam triplicis colloquii formam postulandum impetrandumque mihi est. Et hic, ut diximus, est duplex fructus ex hac meditatione eliciendus.

Quaeri hic solet, cur in hoc exercitio Beatus Pater de carnis concupiscentia neutiquam meminerit. Cui quidem quaestioni aliter alii respondent. Vera autem huius rei causa repetenda mihi videtur ex fine ipsius exercitii, et ex statu, in quo reperitur homo, quando ei hoc exercitium proponitur. Nam ei homini proponendum est, qui, primo, firmissime iam in prima hebdomada decrevit peccata omnia detestari et vitare, idque decrevit malorum magnitudine perterritus, in quae per superbiam et carnis concupiscentiam deiectus est; secundo, homini, qui serio apud se statuit non modo divinis omnibus praeceptis obtemperare, sed ea etiam evangelica consilia amplecti, quae praeceptorum observantiam tuentur atque communiunt; tertio, homini, parato universam evangelicam perfectionem inire, si quidem a Deo ad eam eligatur. Hominem ergo ita affectum, disponere vult Ignatius ad divinam vocationem audiendam, auditamque persequendam. Duo vero, iuxta Ignatium, ad audiendam divinam vocem opponuntur: prius est ingenita hominis ad mundana bona inclinatio; alterum vero daemonis astutia divinam vocem simulantis, ut hominem decipiat, atque ad suum pertrahat vexillum.

Insitam illam, quam diximus, inclinationem in Tribus binariis, in Triplici humilitatis gradu, et partim in hoc exercitio de duobus vexillis oppugnat: diabolicas

vero fallacias heic dedita opera detegendas suscipit. Iam vero quaenam potissimum est fraus, in qua summa ostenditur hostis calliditas? Si hominem ille ad quidquam afficere studuisset, quod carnis concupiscentiam, quodve superbiam, redoleret, illico se reiectum abs dubio sentiret; quum fieri non possit, ut magnitudo malorum, quas nuper cognovit ex duplici illa concupiscentia erupisse, iam penitus e memoria evanuerit. Illam ergo concupiscentiam adhibuit, cuius pravos effectus nondum homo consideravit: ita vero proponit, ut nedum quidquam prae se mali ferat, boni specie circumdata exhibeatur. «Retine, inquit, divitias, honeste quidem ac licite tibi comparatas, sine ullius iniuria hactenus possessas, in necessarios, honestos, immo pios ac sanctos usus in posterum distribuendas.» Quid in hoc mali, quid inordinati apparet? Attamen hic, iuxta Ignatium, latet inimici fraus. Si enim divitias retineas, facile ad eas afficieris, augere studebis; inde in vanum mundanumque honorem aucupandum, aut saltem admittendum, paulatim deflues; ex vano denique honore in superbiam primo, in ingentem deinde superbiam deducere: ex superbia tandem ad omnia alia vitia, maxime vero in corporeas voluptates, praeceps sine dubio rues. En totus processus fraudis a daemone usurpatae ad impediendum hominem, quominus divinam audiat ad consilia evangelica universa servanda vocationem. E contrario autem tota Ignatii in hoc exercitio ac in sequenti intentio fertur hinc quidem ad huiusmodi fallaciam aperiendam, inde vero ad excutiendam ab humano animo affectionem non ad divitias solum, sed ad earum etiam possessionem; non sane quod ipsa possessio sit in se mala, sed quia est initium illius processus in causam malorum omnium, superbiam, inquam, desinentis. Nihil igitur est, quod carnis concu-

piscentiam, ut patet, in hoc, aut in sequentibus exercitiis nominet.

Quaeri tamen hic posset num semper sit amor divitiarum rete illud a daemone iniectum, ut homines obducat, et tandem catenis devinciat. Respondeo, ex Ignatii verbis negandum videri. In concione enim, quam ad suos habet Lucifer in tertio puncto, «Considerare, inquit, quomodo eos admonet ad iniicienda retia et catenas, ut primo tentare debeant cupiditate divitiarum, prout solet [ipse facere] ut in pluribus.» etc. In PLVRIBVS, ait, non autem in OMNIBVS. Nonnullis igitur alia obtendet retia, ut capiantur. Quod si id iis etiam, qui primum ad Exercitia accedunt, evenire potest, quanto magis illis, qui saepe, puta quotannis, exercentur, praesertim religiosis hominibus, qui paupertatem colere student, eveniet? Neque tamen desunt fraudes, quibus isti omnes irretiantur. Vt enim sapienter docet P. Roothaan, «Fraudes Luciferi in eo sitae sunt, quod excitent ad desideranda et quaerenda ea, quae per se quidem sunt INDIFFERENTIA, ut sunt divitiae et honores, sed quorum CVPIDITAS numquam non PERICVLOSA, plerumque vero etiam EXITIALIS est. Certe, quicumque in quocumque statu hac cupiditate implicari se sinit, mox ea experietur, quae castrorum Luciferi propria sunt, turbationem, tenebras, commotionem, confusionem, horrorem,—statu perfectionis excidit—et in suo statu, si is perfectionis non sit, perfectus esse non potest... Praeterea Lucifer illa bona fallacia et caduca, quasi vera bona essent, depingit; et quum ea nec dare ipse possit, nec facilem reddere eorum consequutionem; ita tamen desiderium eorum et cupiditatem in hominibus excitat, ut sibi persuadeant miseri, ea, quae tam ardenter exoptant, praesto sibi fore, modo sibi ne desint.» Hactenus P. Roothaan.

Summopere igitur necessarium est, ut qui uberes fructus cupiat ex Exercitiis elicere, probe cognoscat quodnam sit rete, quo a daemone tenetur, et nedum ad progrediendum in suscepta via praepeditur, recedere se a termino, quem petit, experitur. Retia namque sunt effusio ad exteriora, amor commoditatum, indifferentem non esse ad loca et officia, minus rectam habere intentionem in studiis, in ministeriis, et sexcenta alia quibus minime advertentes irretimur et progredi in virtibus prohibemur.

CAPVT XIV

DE TRIBVS HOMINVM BINARIIS SEV CLASSIBVS

Postquam per totum diem quartum in hac secunda hebdomada in dignoscendis diabolicis fraudibus, et in petenda a Deo electione absolute ad SVMMAM paupertatem spiritualem homo laboravit, ulterius nunc progreditur in postrema eiusdem quartae diei meditatione. Quum enim desiderium SVMMAE spiritualis paupertatis vix aut ne vix quidem putari possit sincerum et efficax, si in ipso desiderio sistatur; opus est ad actualem paupertatem propius accedere. En qua arte id obtineat Beatus Pater.

Proponit triplex hominum genus, qui summam quamdam pecuniae legitime prorsus et honestum ob finem acquisivere, ut puta ad honestam sustentationem: finis tamen huiusmodi non fuit pure ac simpliciter amor erga Deum. Omnes hi salutem aeternam adipisci et Deo tranquille famulari in his terris cupiunt, at quoddam impedimentum et gravitatem quamdam experiuntur ad eiusmodi servitium, neque aliam agnoscunt impedimenti gravitatisque causam, praeter pecuniae illius

possessionem. En homines vere irretitos pecuniarum amore: extricare se cupiunt omnes; at aliter alii. Primum enim genus VELLET excutere impedimentum illud, vellet rete disrumpere, neque audet conatum edere, remque ad horam mortis reiicit. Imprudentissime prorsus: neque enim diu manet piscis in rete, sed a rete ad sartaginem defertur. Non satis erit daemoni irretitos huiusmodi ignavos retinere, sed catenis peccatorum tandem aliquando opprimet, devinciet, devinctos retinebit. Qui ita sunt affecti, verba quidem vocantis Dei audiunt, at surdas ei omnino praebent aures.

Secundum genus non modo VELLET, ut prius, sed VVLT etiam, gravitatem, quam experitur, deponere; verum ea conditione, ut gravitatis causa non tollatur; Deumque orat, ut servata causa, retentis videlicet divitiis, evanescat effectus, seu gravitas et impedimentum illud, quod ex affectione ad acquisitas divitias experitur. Verbo, vult intra rete permanere, et a Deo poscit, ut retis inpedimentum non sentiat; sed ut intra illud non minus libere sese movere queat, quam si nullo rete circumdaretur; ut enim ait Beatus Pater, cupit iste «Vt Deus veniat eo, quo vult ipse; et non resolvit se ad rem relinquendam, ut ad Deum eat, etiamsi hic status sibi esset optimus,» etiamsi nimirum agnoscat rem optimam se facturum, si, relicta re, vaderet post Christum, eumque sequeretur. Nae iste gravitatem excutiet numquam. Quando enim tantum patrabit miraculum Deus?

Tertium denique genus strenuorum est ac diligentium: ita enim affectionem omnem ad rem acquisitam exuere vult, ita omni cupit impedimento liberari, ut quantum in se est, illico rem abiiceret; si vero non abiicit, ideo est, quia nescit utrum a Deo eligatur ad hanc renuntiationem: dum vero durat huiusmodi igno-

rantia, existimat se divitias iam reliquisse, non prius eas resumpturus, quam volentem Deum ut resumat, agnoverit: «Vires intendendo, ait Ignatius, ut neque illam rem, neque ullam aliam velit, nisi ipsum moverit solum servitium Dei Domini nostri: ita ut desiderium ut melius possit servire Deo Domino nostro illum moveat ad rem sumendam vel reliquendam.»

Notanda valde sunt haec Beati Patris verba. «Vires, inquit, intendendo, hispanice *poniendo fuerza;* quae quidem non mediocrem significant conatum ad rem aggrediendam arduam et naturae summopere repugnantem. Quare statim post hoc exercitium monet, multum iuvare ad hoc ut quis exstinguat quemvis inordinatum affectum ad divitias, quas hic mente et affectu iam reliquit, «Petere in colloquiis (etiamsi sit contra carnem), ut Dominus ipsum eligat ad paupertatem actualem; et [protestari] se velle, petere, et supplicare, (adverte quam hic efficacem postulet voluntatem), dummodo sit servitium et laus divinae eius Bonitatis.» Nunc opportunum est, illud in memoriam revocare, quod a me in primo exercitio hebdomadis primae percontabar: «Quid agere debeam pro Christo?», et illud aliud exercitii de regno Christi: «Ii, qui magis affici volent..... agendo contra propriam sensualitatem et contra suum amorem carnalem et mundanum,» etc. Non sufficit nimirum sensualitati et amori carnali ac mundano morem non gerere, ei non indulgere, et quomodocumque obsistere; sed contra eum strenue ac fortiter agendum et pugnandum est. Et quoniam iterum et saepius insurget huiusmodi carnalis amor in sequentibus exercitiis, ista petitio iterum etiam et saepius repetenda erit, ut admonet Ignatius; neque ab ea cessandum, donec penitus amor ille exstinguatur, aut tantum saltem coerceatur, quantum ad recte eligendum sit necesse.

Intendere autem vires docet Ignatius, «Vt neque illam rem (summam talentorum, de qua in hoc exercitio est quaestio), neque VLLAM ALIAM velit» etc. Quum de una nunc re, de divitiis videlicet, agatur, cur, quaeso, limites sibi praefixos transgreditur, et in omnem aliam rem, nulla excepta, transilit, et in eam nititur ut feratur voluntas sese exercentis? Recte omnino ac sapienter impellit in plura voluntatem. Affectum namque illum divitiarum plures alii affectus, sive ordinati, sive inordinati, comitari solent, ut puta, affectus ad mundanum honorem, qualis haberetur in eo, qui constitutus esset in aliqua civili vel ecclesiastica dignitate, vel eam adipisci speraret, cui dignitati annexi sint redditus ingentes: item affectus ad proprias commoditates, ad requiem, ad magnatum amicitias, et alia, quae talem statum consequuntur. Posset etiam oriri affectus ad divitias ex desiderio elargiendi eleemosynam, sustentandi parentes et cognatos, eosque in nobiliorem statum evehendi: qui sane affectus non semper in se sunt male ordinati; at hic et nunc, quando animum obdurare possunt ne divinam audiat ac sequatur vocationem, inordinati abs dubio sunt. En quam latus pateat repugnantiarum difficultatumque campus! Quoties petendum contra carnem erit, et quam multis de causis!

Subdit Beatus Pater: «Nisi ipsum moverit SOLVM servitium Dei Domini nostri: ita ut desiderium ut MELIVS possit servire Deo Domino nostro» etc. Vna videlicet causa, qua moveri quis possit ad resumendam rem, quam affectu reliquit, debet esse servitium Dei; et non quodlibet servitium, sed MELIVS, quod sibi liceat. Secundum enim binarium quando divitias sibi retinendas statuit, etsi Deo servire vult, at non ducitur hoc desiderio serviendi Deo, sed affectione ad divitias: ne-

que proinde quaerit MELIVS divinum servitium, sed id divini servitii dumtaxat, quod amico foedere cum divitiarum possessione consociatur. At vero quis huiusmodi virum vocet strenuum? Quis putet serio a se fuisse percontatum: «Quid agere debeam pro Christo?» Potestne vel mentis compos existimari? Nonne melius duxeris omni vituperio dignissimum, qui tam ingrato sit animo in suum benignissimum beneficentissimumque ducem?

Stat igitur, neminem posse se blandiri de liberalitate, immo neque de gratitudine erga Christum Dominum, nisi ad statum tertii binarii, agendo contra sensualitatem et amorem carnalem et mundanum, ascendat. Quod qui detrectet, voluntarie irretitus manebit, sub daemonis vexillo militabit.

CAPVT XV

DE EXERCITIIS POST QVARTVM SECVNDAE HEBDOMADAE DIEM FACIENDIS

Quemadmodum per totam hebdomadam primam illud vidimus conari Beatum Patrem peccatori persuadere: per actus illos male ordinatarum affectionum, quos elicuit, per admissa nimirum peccata, quibus vel sui honorem vel corpoream aliquam prohibitam voluptatem sibi comparare voluit, deiectum misere fuisse in supremam ignominiam ac dedecus, et in acerbissimas, intolerabiles, sempiternas poenas se ipsum coniecisse; simili nunc ratione, ut hominem adducat ad honoris mundani ac divitiarum contemptum atque abdicationem, persuadere ei nititur, inventurum se esse in Christi quidem iniuriis atque opprobriis quidquid est honoris et gloriae, immo multo plus quam poterat ex-

spectare a mundo; in Christi vero paupertate, quidquid necesse est ad honestam vitae sustentationem, immo et ad honestam commoditatem.

Hoc autem exsequitur Beatus Pater proponendo sese exercenti publicam Christi Domini vitam. Ita in Christi baptismo videt homo, hinc quidem, actum stupendae humilitationis; inde vero, actum supremae glorificationis, quum aperiuntur caeli, descendit Spiritus Sanctus, et auditur vox Patris testantis: «Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.» Cernit in deserto ieiunantem quadraginta dies Christum, atque a daemone tentatum; postea vero a daemone triumphantem, et angelorum ministerio recreatum. Videt Apostolos vocatos, homines utique rudes et infimae conditionis, electos ad omnem paupertatem, ad omne opprobrium, ad mortem denique ipsam eamque turpissimam, perpetiendam; at evectos ad tantam dignitatem, caelestibus donis gratiisque adeo ditatos, ut superent omnes antiqui testamenti patriarchas, patres omnes testamenti novi. Quid haec tandem operatum est? Divina electio. Quomodo ad tantam gloriam evecti ac perducti sunt? Per paupertatem, per persequutiones, per apostolicos labores et mortem acerbissimam pro Christo toleratam. Quando autem tantum honorem per mundanas dignitates ac divitias quispiam hominum consequutus est, quanto nunc illi non in caelis solum, sed in his etiam terris perfruuntur? Nemo sane.

Si oritur procella in mari, sedatur a Christo, cui venti et mare obtemperant. Accedunt leprosi, et mundantur; sanitatem petunt infirmi, caeci, claudi, languentes omnes; sanat Christus. Esurit turba, cibi oblita ut Christum in deserto sequatur; misertus Christus, a nemine rogatus, multiplicatis panibus ac piscibus,

quinque millia hominum satiat. Efferuntur mortui, iacent in sepulcro; ad vitam revocat Christus. Quid intendit Beatus Pater in hisce Christi miraculis proponendis? Nempe firmam fidem solidamque spem gignere in animo laborantis hominis, ut bonis mundanis valedicat, quo melius Christum sequi atque imitari valeat: fidem, inquam, infinitae Christi virtutis, potentis omnia bona suppeditare, quae mundani per divitias sibi comparare quaerunt; potentis itidem ab omni mundano malo eruere suos, quod malum mundani per divitias devitaturos se sperant; certam praeterea spem, fore, ut Christus stet promissis, omniaque ad vitam necessaria adiiciat iis, qui quaerunt regnum Dei et iustitiam eius.

Non id tamen est ita intelligendum, quod vero Christi sectatori nulla iam in posterum res adversa toleranda sit; ipsi namque Apostoli gravissima certe mala in praedicando Evangelio mortemque denique acerbissimam sunt perpessi: sed ita, quod adeo potens sit Dominus, cui apostolici viri famulantur, ut eos valeat ab omni periculo, ab omni aerumna, si velit, liberare. Causa vero cur aliquando non velit, non est amoris ac benevolentiae defectus, sed maius patientis bonum, cuius nimirum virtutes in tolerandis malis mirandum in modum roborantur; actus enim eliciunt perfectissimos, quibus immensum aeternae gloriae pondus respondet.

En ad quem finem dirigendae sint meditationes de publica Christi vita. Hic maxime oportet, ut qui exercetur bene instructori cognitus sit, eique sinceram reddat rationem de animi motibus, ac de difficultatibus, quas in amplectenda actuali paupertate experitur. Instructor autem eligat ex vita Christi publica facta, verba, parabolas, eaque omnia, quae ad solvendas illas difficultates magis idonea censebit. Quamvis enim Bea-

tus Pater usque ad duodecim dies hanc secundam hebdomadam protrahat, singulisque diebus particulares meditationes assignet, liberum tamen cuique permittit hebdomadam producere vel contrahere, prout fructus ex ea referendus tardius citiusve capiatur: in designando autem singulis diebus proprias meditationes, id intendit ut «Det introductionem quamdam et modum ad postea melius et magis complete contemplandum.»

Finem autem huiusmodi meditationibus a Beato Patre praefixum eum esse, ut qui sese exercet omnes superet difficultates, quae contra actualem paupertatem atque iniuriarum tolerationem insurgunt, diserte docuit, quando in fine quintae diei, «Finiendo, inquit, cum tribus colloquiis [meditationis] de tribus Binariis, vel iuxta notam, quae sequitur post Binarios.»

Hic maxime requiritur instructoris peritia in usu regularum de spirituum motibus dignoscendis, earum praesertim, quae ad hanc secundam hebdomadam pertinent; tum etiam dexteritas in applicatione ipsarum iuxta praeceptiones in viginti annotationibus traditas.

CAPVT XVI

DE TRIPLICI HVMILITATIS GRADV

Simul ac ille, qui exercetur, ex contemplatis mysteriis Dominicae vitae et ex iterata colloquii laudati cum adiuncta notula repetitione difficultates omnes superaverit, quae ad amplectendam actualem paupertatem ortae fuerint, monendus est, ut per diem totum simul cum mysteriorum consideratione revolvat identidem tres illos, quos Beatus Pater humilitatis gradus appellavit, quorum secundus quidem est necessaria dispositio ad aggrediendas electiones, postremus vero utilis

admodum et omni ope et conatu quaerendus, ut saltem tutum ac certum reddat secundum gradum. «Oportet igitur, docemur in Directorio [1], ut perveniat (electurus) ad tertium gradum humilitatis..., aut saltem ad secundum... Quod si ad hanc resignationem et indifferentiam non pervenerit, tota tractatio de modo eligendi relinquenda est.»

Maximi momenti est status electio, de qua potissimum hic agitur, praesertim si fiat de statu immutabili, ac proinde perpetuo. Aliunde difficillimum est adeo omnem exuere propriam voluntatem, ut in ipso eligendi actu nihil eius maneat, et una spectetur divina voluntas. Quare ut electurus certus sit, se hanc divinam voluntatem certo attigisse, et hac in re ab omni perturbatione ac scrupulo in posterum liberetur, hanc considerationem proponit Beatus Pater, eo fine ut electurus postremum gradum attingere nitatur.

Colligit ergo Ignatius totum hactenus in Exercitiis obtentum fructum in primo ac secundo gradu, qui sane fructus est huiusmodi: primo «Quod ita me demittam et ita me humiliem, quantum possim, ut in omnibus obediam legi Dei Domini nostri..., ut non veniam in deliberationem transgrediendi mandatum aliquod..., quod me obliget sub peccato mortali.» Nam peccati odium, quod ex prima hebdomada eliciendum est, certius praeterea redditur et in melius evehitur ex contemplatione exemplorum a Christo Domino exhibitorum ab eius sancta Incarnatione usque ad vitam ipsius publicam. Qui enim hunc gradum nactus fuerit, non modo a peccato abstinere debet, sed neque «Venire in deliberationem transgrediendi» etc. Quod sane multo est perfectius.

1 Cap. XXIII, n. 3.

Secundus est: «Vt non velim, neque afficiar magis ad habendum divitias, quam paupertatem; ad cupiendum honorem, quam ignominiam; ad desiderandam vitam longam, quam brevem, ubi aequale fuerit servitium Dei Domiñi nostri, et salus animae meae aequalis.» En perfectissima deordinatarum affectionum mortificatio, sine qua indifferentia, quae hic postulatur, consistere non potest. Notanda vero sunt haec verba. In tertio enim binario requiritur ut homo vires intendat, «Vt neque illam rem (de qua ibi agitur), neque ullam aliam velit, nisi ipsum moverit SOLVM servitium Dei Domini nostri: ita ut desiderium ut MELIVS possit servire Deo Domino nostro illum moveat ad rem sumendam vel reliquendam.» Quod sane idem est ac dicere, non se moturum nisi quo intelligat esse maiorem Dei gloriam. At si in neutro extremorum appareat haec maior divina gloria? Si erga utrumque par et aequalis divina gloria agnoscatur, quid tunc? In hoc secundo humilitatis gradu postulatur ab homine, ut maneat omnino indifferens: id quod videtur esse aliquid perfectius, quam id amplecti, in quo maior gloria resplendet. Addit Ignatius huiusmodi perfectae indifferentiae illud: «Vt nec pro omnibus rebus creatis, neque eo quod mihi vitam auferrent, in deliberationem veniam committendi aliquod veniale peccatum.»

Veniamus nunc ad tertium humilitatis ac perfectissimum gradum. Quantumvis credat homo, attigisse se perfectam illam indifferentiam, de qua in gradu secundo; quia tamen amor mundanorum bonorum tam penitus corruptae hominis naturae inhaeret, facile evenire poterit, ut reapse non attigerit, utque in perpendendis inter eligendum rationum utrinque ponderibus, etiamsi reapse maius pondus stet pro actuali paupertate; latitans tamen aliqua male ordinata affectiuncula impe-

diat quominus maior haec ponderis gravitas agnoscatur, et faciat ut ibi aequilibrium cernere videamur, ubi revera non est. Ex eo igitur existimato aequilibrio duo evenire poterunt: prius est, ut electionem non perficiam; alterum, si aequalem Deo gloriam tributurum me credam sive divitias aut honores, sive paupertatem aut ignominiam amplectar, cur ad paupertatem et ignominiam inclinem? cur statum mutem? cur eum amplectar, quem sine Dei vocatione amplecti non licet; ego vero huiusmodi vocationem post tot labores, post tot preces, post tot exercitia minime intelligam?

Vt ab hisce curis exercitantem expediat Ignatius, et simul ut electionem ab omni propriae voluntatis specie liberet; causam perfectissimam excogitavit tollendae huiusmodi indifferentiae, quae saepissime plus habebit existimationis quam veritatis, ut supra innuebamus. Causam vero exponit in tertio humilitatis gradu. «Quando, inquit, includendo primam et secundam, ubi aequalis fuerit laus et gloria divinae Maiestatis, ad imitandum Christum Dominum nostrum, utque ei magis actu similis fiam, volo et eligo magis paupertatem cum Christo paupere, quam divitias; opprobria cum Christo pleno opprobriis, quam honores: et magis desidero aestimari vanus [insipiens, inutilis] et stultus pro Christo, qui prior habitus fuit pro tali, quam [aestimari] sapiens ac prudens in hoc mundo.» Quasi dicat: Divitias illas, quas in exercitio de tribus binariis cogitatione et affectu iam dimisi, non equidem resumam, nisi prius agnoverim Dei esse voluntatem ut illas retineam: quam sane divinam voluntatem nisi perspectam apertamque habeam, (hoc enim sibi vult illud «utrinque parem Dei gloriam videre»), illas reapse dimittam; earum enim excutiendarum causa mihi sufficiens erit, primo quidem, nullam agnoscere divinam voluntatem, quae talem di-

vitiarum eiectionem reprobet; deinde vero, perfectior Christi Domini imitatio, qui, quum dives esset, pro me egenus factus est; qui opprobria sustulit; qui, quum esset infinita sapientia, stultus et insipiens haberi pro me voluit.

En optima dispositio ad faciendam electionem. Quid enim timeri possit propriae voluntatis in eo, qui, praelucente pari divina gloria, id eligit, quod nedum propriae voluntati appetibile est, eidem summopere repugnat? Quod si quis animo ita comparatus sit, et tamen iuxta regulas recte eligendi postea eligat manere in statu, in quo praecepta servanda sunt; summa in eo statu pace animique quiete perfrui poterit; quia id reapse non eliget, nisi postquam agnoverit, non sane aequalem, sed maiorem profecto, oriri Dei gloriam ex ea electione; quae videlicet maior gloria in huiusmodi electionibus reperienda est. Vt enim docet Beatus Pater, quem affert Directorium [1], «Maiora utique signa requiruntur ad statuendum quod ea sit Dei voluntas, ut quis in eo statu maneat, in quo satis sit servare praecepta, quam ut viam consiliorum ingrediatur: quia Dominus tam aperte ad consilia exhortatus est: at vero in illo statu magna ostendit esse pericula.»

Quoniam vero tertius iste perfectissimusque humilitatis gradus difficillimus abs dubio est, monet Beatus Pater, magnum ad illum attingendum afferre compendium «Facere tria colloquia de Binariis iam dicta, petendo, ut Dominus noster velit ipsum eligere ad hanc tertiam maiorem et meliorem humilitatem, quo magis eum imitetur, ac [melius ei] serviat, si aequale aut maius fuerit servitium et laus divinae suae Maiestatis.» Praeterea statim affert Dominicam Passionem in tertia

1 Cap. xxiii, n. 4.

hebdomada contemplandam, ex qua, adiuncta eorumdem colloquiorum crebra iteratione, tertius hic humilitatis gradus stabiliendus perficiendusque est.

Ex hactenus explicatis in hac secunda hebdomada elucet per quosnam veluti gradus homo adducatur ad perfectam illam deordinatarum animi affectionum cohibitionem, quae in actu electionis requiritur ad divinam voluntatem certo cognoscendam. Primvs enim est, absoluta animi ac perfectissima deliberatio Christi Domini sequendi atque imitandi in paupertate spirituali, immo etiam in actuali, si forte dignetur Dominus ad tantam perfectionem vocare. Secvndvs est vehemens desiderium imitandi Christi non sane in qvavis, sed in svmma, spirituali paupertate; et sincera petitio ut recipiatur sub Christi vexillum in actuali paupertate atque in opprobriorum toleratione, si ea sit sanctissima divinae Maiestatis voluntas. Cuius quidem tum desiderii tum petitionis sinceritas ac veritas quo clarius pateat, cogitatione et affectu amplectitur homo paupertatem actualem abiiciendo affectu et cogitatione divitias, quas iuste possidet, eas minime resumpturus, nisi aperte prius cognoverit divinam de iis resumendis voluntatem: et hic est tertivs gradus. Qvartvs denique est, quaedam animi perfectissima comparatio, vi cuius si divina voluntas de divitiis resumendis, (idem dic de honore, qui eas comitatur), non aperte pateat, sed par gloria divina tum in illis reapse abiiciendis tum in resumendis appareat; de facto abiiciet divitias et honores, paupertatemque actualem et opprobriorum toleratione amplectetur, ex solo desiderio Christi Domini, pauperis et iniuriis affecti, perfectius imitandi propiusque sequendi.

Hominem sic dispositum Beatus Pater aptissimum censet ad inquirendam inveniendamque divinam vo-

luntatem. Inquirendi autem rationem, ita ut certo inveniat, sapientissime exposuit in aureo de electionibus tractatu, quo secundae huic hebdomadae finem imponit. Quam quidem electionum tractationem in sequenti capite breviter exponemus.

CAPVT XVII

DE ELECTIONIBVS AC DE REFORMATIONE

Hebdomadi secundae finem imponit Ignatius sollemni illa de electionibus tractatione, ubi tradit difficillimam christianae prudentiae artem, in qua ipse per totam vitam ex sui ad Deum conversione mirandum in modum excelluit. Incipiens igitur a definitione electionis, aliquas eius species recenset, tempusque ac modum recte eligendi breviter admodum ac perspicue persequitur.

§ 1. QVID SIT ET QVOTVPLEX ELECTIO

Et primo quidem electionem describit in eo, quod ipse nominat «Praeambulum ad electionem faciendam.» Rectam enim electionem eam statuit, in qua «Quantum est ex parte nostra oculus intentionis est simplex.» «Quantum est, inquit, ex parte nostra,» nimirum, quatenus nos, divino sane auxilio adiuti, media omnia, quae recta ratio praescribit, adhibuerimus ad requisitam intentionis puritatem simplicitatemque adipiscendam. Oculus autem intentionis simplex erit, «Si unice spectem finem, ob quem creatus sum, scilicet, ad laudem Dei Domini nostri et salutem animae meae.» Quoniam vero praeter hanc finis intentionem, medium mihi etiam spectandum seu considerandum est; simplici-

tas illa intentionis requirit ut ipsum ego medium non alia ratione adhibendum censeam, nisi unice «Vt me iuvet ad finem, ob quem creatus sum.» Brevi: finis propter se, medium autem nonnisi propter finem intendendum est: «Non ordinando neque trahendo finem ad medium, sed medium ad finem.»

Quapropter merito eorum carpit obliquam ac praeposteram electionem, «Qui eligunt primo uxorem ducere, id quod est medium, et secundario in statu coniugali Deo Domino nostro servire, quod servire Deo est finis.» Item eorum, «Qui primo volunt habere beneficia [ecclesiastica], ac postea servire Deo in illis.» Isti videlicet non simplices in sua electione sunt, sed duplices, quum etiam in medium tendant quasi esset finis propter se appetendus. Immo vero «Non recta tendunt ad Deum; sed volunt, ut Deus recta veniat ad ipsorum inordinatas affectiones; et consequenter ex fine faciunt medium, et ex medio finem.» Qua quidem rerum ordinisque inversione quid turpius, quid magis inordinatum, quid deformis monstri similius cogitari potest? «Nihil ergo debet me movere ad haec vel illa media assumenda, aut ad ea relinquenda, nisi solum servitium et laus Dei Domini nostri, et salus aeterna animae meae.» Et hactenus de rectae electionis descriptione.

Electionis divisio sumitur, primo, ex parte materiae; secundo, ex ipsius institutione; tertio demum, ex modo, quo instituta fuerit. Quod autem ad materiam spectat, supponit Beatus Pater id, quod in hac re perspicuum est, «Necessarium esse, ut omnia, de quibus volumus electionem facere, sint indifferentia, aut bona in se:» quum autem electurus non simpliciter philosophus sit, sed Christi sectator, eiusque sanctae Ecclesiae filius, opus est ut illa, de quibus sit deliberandum eligendane sint, necne; «Militent intra sanctam matrem Ecclesiam

hierarchicam.» Nullo autem modo deliberare oportet de iis, quae sunt «Mala, aut huic [Ecclesiae] repugnantia.» Quibus praeiactis, electio ex parte materiae dividitur in immutabilem et mutabilem. Immutabilis erit, si res electa vel eligenda sit immutabilis, qualis est matrimonium, sacerdotium, etc.: mutabilis autem, si talis sit materia, «Cuiusmodi est, accipere beneficia [ecclesiastica] vel relinquere, accipere bona temporalia vel abiicere.»

Vtraque electio, tum immutabilis, tum mutabilis, potest esse facta, vel facienda, prout iam semel fuerit, vel nondum fuerit exsequutioni mandata seu instituta. Tandem electio iam facta, quod ad modum, quo instituta est, pertinet, potest esse recte ac debite instituta, aut oblique atque indebite.

§ II. DE ELECTIONE IAM FACTA

His ergo divisionibus constitutis, agit primo Beatus Pater de electionibus iam factis, prout debite et ordinate, aut inordinate ac indebite peractae fuerint. Et primo quidem, de immutabili electione, sive recte sive oblique fuerit instituta, «Non est, inquit, quod amplius eligatur; quia non potest dissolvi.» Obliqua electio censendane igitur vocatio divina? Non, «Quia omnis vocatio divina est semper pura et munda, sine admixtione carnis, neque alterius cuiusquam affectionis inordinatae.» Quid ergo huiusmodi homini agendum? Duo praestanda ei esse docet Ignatius: prius est, ut erroris praeteriti eum poeniteat; alterum, ut recte ac honeste in statu perperam electo vivere in posterum conetur: «Poenitens, ait, procuret bonam vitam agere in sua electione.»

Si vero mutabilis fuerit electio iam facta, unum pot-

est e duobus contigisse: quod recte, aut quod praepostere instituta fuerit. Si primum, «Non est cur denuo faciat electionem; sed in illa perfectum se reddere, quantum possit:» Si vero secundum, «Tunc expedit electionem debite facere:» addit autem Ignatius: «Si quis desiderat ut ex se proveniant fructus insignes et valde grati Deo Domino nostro.» Si namque id non desideret, vix adduci poterit, ut novam electionem velit instituere.

§ III. DE PRIMO AC SECVNDO TEMPORE ELECTIONIS RECTE INSTITVENDAE

Postquam de electione iam facta, (sive de re mutabili sive de immutabili sit, sive praeterea recte sive perperam facta fuerit) dixit; transit Beatus Pater ad electionem adhuc faciendam, rationemque docet ac viam demonstrat eiusdem ordinate ac perfecte instituendae. Triplicem ergo recenset animae statum, in quo recta et ordinata electio perfici potest, seu prout ipse loquitur, «Tria tempora ad faciendam sanam et bonam electionem in unoquoque ex illis.» Et subiungit: «Primum tempus est, quando Deus Dominus noster ita movet et attrahit voluntatem, ut quin dubitet nec dubitare possit talis anima devota, sequatur id, quod [sibi] ostensum est.» Cuius electionis exempla duo affert: «Quemadmodum, ait, S. Paulus et S. Matthaeus fecerunt in sequendo Christo Domino nostro.» In hoc tempore seu statu homo passive potius se habet, quam active: ac proinde facillima est eligendi ratio, quum proprie sit manifesta Dei vocatio.

«Secundum, inquit, quando sumitur multum claritatis et cognitionis per experientiam consolationum et desolationum, et per experientiam discretionis diver-

sorum spirituum.» Secundus hic status mixtus est ex passivo et activo. Passivum enim est consolationes desolationesque experiri: diversorum autem spirituum experimentalis cognitio, dum illis consolationibus desolationibusque quis agitur, activum quiddam est, et non parvae difficultatis opus, neque brevi tempore perficiendum, quum non quaevis claritas et cognitio requiratur, sed «Multum claritatis et cognitionis.» Huiusmodi autem cognitio et claritas quum haurienda sit non modo ex consolationis desolationisque, sed ex discretionis etiam diversorum spirituum, experientia; necessaria in hoc tempore seu statu prorsus est speculativa cognitio regularum de spiritibus dignoscendis, ne quis forte in re tam gravi subrepat error.

Quoniam vero iam in prima hebdomada explicatae sunt priores de discretione regulae, quae ad illam potissimum hebdomadam spectant, ac fere de una desolatione agunt; e re erit, afferri hic posteriores regulas, quae de consolatione sunt, ac secundae hebdomadae, maxime vero huius secundi electionis temporis, sunt propriae.

§ IV. De posterioribvs spiritvvm dignoscendorvm regvlis, secvndi hvivs temporis maxime propriis

Prima regvla. Docetur in ea quid uterque spiritus et quomodo agat erga veri nominis consolationem. «Proprium, ait, est Dei et angelorum eius in suis motionibus dare veram laetitiam et gaudium spirituale:» et e converso, pravi spiritus «Proprium est militare [pugnare] contra eiusmodi laetitiam et consolationem spiritualem;» id vero agit «Adducendo rationes apparentes, subtilitates, et perpetuas fallacias:» contra quem pugnat bonus spiritus «Removendo omnem tristitiam

et turbationem, quam inimicus inducit,» ostendendo videlicet illius rationes non esse solidas sed apparentes; non esse ponderis ullius, sed abire in meras subtilitates; non esse vera argumenta, sed perpetuas fallacias.

Secvnda regvla. At difficultas est in cognoscendo quaenam erit propria ac veri nominis spiritualis consolatio. Docet Beatus Pater dignoscendum id esse duplici ex capite: primo ex modo, quo in anima oritur; secundo, ex modo, quo in animam intrat. Duplici enim modo oriri consolatio in anima potest. Primo, sine causa, id est: «Sine ullo praevio sensu vel cognitione alicuius obiecti, ex quo illa talis consolatio adveniat [animae] per eius [proprios] actus intellectus et voluntatis.» Quando ergo ita adveniat spiritualis consolatio, sine dubio a Deo est, ac proinde vera est consolatio. Nam «Solius est Dei Domini nostri dare consolationem animae sine causa praecedente:» cuius rei causam mox adiecit, inquiens: «Quia proprium est Creatoris [animam] intrare, egredi, facere motionem in illa trahendo illam totam in amorem suae divinae Maiestatis.»

Tertia regvla. Alter modus, quo potest in anima oriri consolatio, est cum causa, id est, ex aliquo sensu vel cognitione alicuius obiecti per actus intellectus et voluntatis, ex qua cognitione aut sensu consolatio adveniat. Praecedente autem causa, «Potest, inquit, Ignatius, consolari animam aeque angelus bonus ac malus.» Ratio autem generalis utriusque spiritus discernendi ex fine petenda est; contrarium enim finem duo illi spiritus habent. Nam consolatur «Bonus angelus ad profectum animae, ut crescat, et ascendat (non iam de malo ad bonum: malum enim omne supponitur exuisse hominem in prima hebdomada; sed) de bono ad melius: et malus angelus ad contrarium; et ultra ut trahat illam ad perversam suam intentionem et malitiam.»

Qvarta regvla. Ratio autem cur uterque spiritus in consolatione, quae advenit cum praecedente causa, ex fine dignoscendus sit, est industria, qua utitur daemon, ut animam decipiat: nam «Proprium, inquit, est angeli mali, qui in angelum lucis se transfigurat, intrare cum anima devota [i. e. incipere suggerendo cogitationes animae devotae conformes], et exire secum ipso [i. e. finire suggerendo suas]. Scilicet [solet] inducere cogitatus bonos et sanctos conformiter [ad dispositionem] talis animae iustae; ac dein paulatim procurat pervenire ad finem suum, trahendo animam in suas fraudes occultas ac perversas intentiones.»

Qvinta regvla. Vt igitur dignoscamus bonusne an malus angelus consolationem cum praecedente causa suggesserit, non sufficit, ut de causae bonitate certi simus: sed quum bonum sit ex integra causa, si consolationis «Principium, medium et finis sint omnia bona, tendentia ad omne bonum [seu ad id, quod omnino bonum sit], signum est boni angeli.» E contrario autem, quoniam malum quid simpliciter habetur, non sane ex eo, quod omnia sint in eo mala, sed ex quocumque defectu, qui in ipso deprehendatur, «Clarum signum est procedere a malo spiritu,» si vel unum reperias defectum in tota serie cogitationum, quae a prima ad postremam suggesta tibi sunt. Hic porro defectus deprehendi potest, primo, in ipso termino seu fine, in quem series tota cogitationum perduxerit; secundo, in effectu, quem in anima illae producant. Quod ad primum attinet sufficiens erit signum mali spiritus agnoscendi, si cogitationum series tandem aliquando desinat, primo, «in rem aliquam malam;» secundo, in rem a bono «distractivam;» tertio, «in rem minus bonam, quam ea, quae anima prius sibi proposuerat facienda.» Quod autem spectat ad secundum, signum pariter mali angeli

erit, primo, si animam «debilitet;» secundo, «si inquietam reddat;» tertio, «si conturbet, auferendo illi suam pacem, tranquillitatem et quietem, quam prius habebat.»

Sexta regvla. Neque vero satis nos fecisse existimandum est, si «Inimicus humanae naturae fuerit deprehensus et cognitus ex cauda sua serpentina et fine malo, ad quem inducit;» sed ad eius in posterum fraudes facilius certiusque detegendas, postquam eum deprehenderimus, utile est reflectere in nos, et considerare, et quidem data opera, «Discursum [sive seriem] bonarum cogitationum, quas suggessit:» et primo quidem, «Illarum principium,» nempe primas cogitationes, bonas, videlicet, ac sanctas; deinde vero, «Quomodo paulatim procuraverit ut ipsum (id est, tentatum, et quem decipere moliebatur) descendere [excidere] faceret a suavitate illa et laetitia spirituali, in qua erat;» tertio, donec tandem «Illum deduceret ad depravatam suam intentionem.» Idque, ut «Istiusmodi experientia cognita et notata, caveat sibi in posterum ab eius consuetis fraudibus;» hac enim in re optima est scientia, quam propria experientia pepererit.

Regvla septima. Ex dictis in duabus praecedentibus regulis eruitur secunda via, quam supra dicebamus, spirituum dignoscendorum. Nam praeter malum aut minus bonum finem, ad quem suis simulatis consolationibus, perducere conatur inimicus, quod «criterium obiectivum» appellari posset, assignat Beatus Pater criterium aliud, quod «subiectivum» est; nimirum, effectum in ipsa anima per seriem illam cogitationum productum; in eo consistens, quod animam illae «Debilitent, vel inquietam reddant, vel conturbent.» Mox igitur ut aliquem ex his effectibus anima in se experiatur, prius etiam quam finem, ad quem deducitur, anim-

advertat, merito suspicari potest, moveri se ab inimico: e converso autem, si corroboratam se, quietam, pacatam agnoscat per totam cogitationum sibi succedentium seriem, coniicere potest bono se spiritu moveri, donec tandem ex fine, ad quem fertur, certius id cognoscere valeat.

Ratio autem est, quam in septima regula affert Ignatius. Nam prout «Dispositio animae sit dictis angelis contraria vel similis,» aliter et aliter ab eis tangitur. Igitur «In iis, qui procedunt de bono in melius, bonus angelus tangit talem animam dulciter, leviter et suaviter, ut gutta aquae, quae intrat in spongiam:» quid autem suavius, quam spongiam aqua imbui? Nullus heic strepitus, nihil violentum, «Intrat (bonus videlicet angelus) cum silentio tamquam (dominus) in propriam domum et aperta porta.» Contrario autem modo eiusmodi animam, de bono in melius procedentem, tangit angelus malus: «Acute et cum sonitu et inquietudine, ut quum aquae gutta decidit super petram.» Ecce contrariam movendae animae rationem, qua uterque spiritus adhibet in contraria animae dispositione. Sufficit ergo ut qui in secunda hac hebdomada versatur, pulsatum se cum strepitu et variarum cogitationum turba sentiat, ex quibus inquietudo oriatur, ut agnoscat ab angelo se malo moveri atque agitari: si vero leniter, pacate, suaviter tangatur, id fieri a bono angelo intelligat. Huiusmodi vero experimentale criterium seu discerniculum Beatus Pater «facile» vocat. «Quando enim, ait, est contraria (dispositio), intrant [spiritus] cum strepitu et cum sensationibus, ita ut percipi FACILE possit [eorum accessus]:» ideoque facile percipi quoque poterit, quando in simili dispositione sine illo strepitu ac sine illis sensationibus intrabunt.

Octava regvla. Hactenus de consolatione, quae sine causa, deque ea, quae cum causa advenit. At fieri potest, ut utraque consolationis species tam brevi temporis intervallo sibi succedat, priore posteriorem subsequente, ut una dumtaxat species censeatur, quum tamen sit reapse duplex. Quo in casu, licet prior consolatio, quae sine causa venit, quum a solo Deo sit, nulli sit obnoxia fraudi: «Tamen persona spiritualis, inquit Ignatius, cui dat Deus talem consolationem, debet (et quidem non quomodocumque, sed) multa cum vigilantia et attentione considerare ac discernere proprium tempus actualis eiusmodi consolationis (quae sine causa advenit) a sequenti [tempore], in quo anima remanet fervens, et favorem [divinum] ac reliquias consolationis praeteritae etiamnum sentit.» Et ratio est, quia saepe contingit animam ita ferventem propriis suis potentiis ratiocinari, ex principiis praehabitis in consequentias discurrere, hincque nova proposita ac pia vota concipere; quae quidem omnia non ab illa sane consolatione oriuntur, quae a Deo sine causa procedebat, sed ipsa sunt causa novae alterius consolationis; ac proinde per traditas regulas sedulo perpendenda sunt, et «Valde bene (id est, solertissime) discutiantur necesse est, antequam iis integer assensus tribuatur, et deducantur ad effectum.»

Octo harum regularum intelligentia, eaque non mediocris, hinc quidem spirituali magistro necessaria, hinc vero ex se difficillima esse patet. Quare sapienter admonetur Instructor ne illi proponat, qui motibus primae hebdomadis propriis agitatur: ut enim ait Beatus Pater in adnotatione nona, «Quantum ei proderunt regulae primae hebdomadae, [tantum] nocebunt eae, quae secundae sunt; eo quod materia subtilior sit ac sublimior, quam ut ille possit intelligere.» Plura de

hac re in epistola Ignatii [1] ad quamdam monialem Barcinonensem legi poterunt.

§ V. DE TERTIO RECTAE ELECTIONIS FACIENDAE TEMPORE, DEQVE EIVSDEM PRIORI MODO

Reliquum est iam, ut de tertio recte eligendi tempore dicamus, in quo duplicem Ignatius eligendi modum docet. Prior quidem fit per rationalium potentiarum, intellectus et voluntatis, exercitationem: quare exercitio per tres animi potentias, prout in prima hebdomada docebamur, valde est assimilis. PRIMVM enim e sex punctis, quibus hic modus constat, respondet loci compositioni. «Primum, inquit, punctum est, proponere mihi rem, super qua volo facere electionem.» Exempla affert, claritatis gratia, «Officium vel beneficium, quod acceptandum sit vel relinquendum;» et illico in universum loquitur, addendo: «Vel aliam rem quamcumque, quae cadat sub electionem mutabilem.» In quae verba sapienter P. Roothaan: «Ex his verbis, ait, patet, regulas istas ad faciendam bonam electionem, non restringi ad solam electionem status, sed ad alia quaecumque, quae in deliberationem venire possunt, pertinere.»

SECVNDVM punctum est novum quoddam praeambulum, in hoc exercitio requisitum, utpote ad recte deligendum necessaria conditio, dispositionique, in qua versari iam debet electurus, omnino consentanea. Duo enim ibi continentur: prius est, actualis ultimi finis intentio: «Tenere, inquit, pro obiecto finem, ob quem creatus sum:» agitur enim de medio eligendo, quo ad hunc finem consequendum utar. Alterum est, reflexa quaedam cognitio meae actualis indiferentiae erga

1 Cartas de S. Ignacio, Tomo I, carta VII.

utrumque extremum, in quo versatur electio : «Et simul, ait, (nempe, simul cum pura illa finis intentione) invenire me indifferentem.» «Invenire,» inquit, seu sentire me iam indifferentem; quam sane indifferentiam ex hactenus peractis exercitiis obtinuisse opus est: contra quam dicebat in principio et fundamento : «Necesse est FACERE nos indifferentes erga res creatas omnes:» ac proinde «Sine affectione ulla inordinata,» relate videlicet ad rem propositam acceptandam vel relinquendam. «Sed ut me inveniam (me sentiam, cognoscam) veluti in stilo staterae [in aequilibrio], ad sequendum id, quod sensero esse magis in gloriam et laudem Dei Domini nostri et salvationem animae meae.»

TERTIVM punctum petitioni respondet. «Tertium, ait, petere a Deo Domino nostro, ut velit movere voluntatem meam, et ponere in anima mea id, quod ego facere debeo circa rem propositam (acceptandam aut relinquendam), quod magis sit in laudem et gloriam suam.» Vbi duplex gratia petenda proponitur, ut apertius constat ex sequentibus: gratia illustrationis, ut discurram «Bene et fideliter intellectu meo;» gratia piae motionis, ut eligam «Conformiter ad suam sanctissimam et beneplacentem voluntatem.» Vbi animadverte pro eodem hic haberi a Sancto Ignatio duo haec: eligere id, «Quod MAGIS sit in laudem et gloriam» Dei, et eligere «Conformiter ad suam sanctissimam et beneplacentem voluntantem,» iuxta ea, quae alibi dicebamus.

QVARTVM punctum pertinet iam ad exercitium intellectualis facultatis. «Quartum, ait, considerare» (idque non simplici consideratione, sed) «ratiocinando,» nempe «quot commoda et utilitates mihi proveniant, si habeam officium vel beneficium propositum,» vel si acceptem rem, quaecumque tandem ea sit, quae in deliberationem venit. Haec vero commoda atque utilitates

non quacumque ratione consideranda sunt, sed quatenus respiciunt «Solam laudem Dei Domini nostri et salutem animae meae.» Postea autem, «Considerare similiter incommoda et pericula, quae sint in eo» (officio vel beneficio, aut alia qualibet re) «habendo.» Nota verbum illud «pericula:» quae sane in officio vel beneficio, de quo agitur, deesse non possunt, quum adiunctos habeat redditus; divitiae vero in exercitio de duobus vexillis «retia» dictae sunt, quibus daemon irretire satagit homines, ut eos tandem vinciat catenis. Tantundem faciendum in secunda parte, scilicet, «Videre commoda et utilitates in eo non tenendo, et similiter e contrario, incommoda et pericula in eo item non tenendo.»

Qvintvm punctum est veluti quaedam rationis in seipsam reflexio. Postquam enim commoda atque incommoda utrinque exstantia per discursum perspicue innotescunt intellectui, videndum est ad utram partem sponte sua feratur ratio iuxta maius bonum, quod in alterutra parte cognoscit esse. «Et ita, inquit, secundum maiorem motionem rationalem, et non [secundum] motionem ullam sensualem, debet fieri deliberatio super re proposita.» Voluntas enim dumtaxat quando rationis ductum in agendo sequatur, rationabiliter aget; quod si rationi obsequatur, ea proponenti, ad quae ipsa modo explicato sponte sua vergit, iam voluntas rectam faciet electionem. Haec vero electio sub fine quinti huius puncti perficienda est.

Vbi dubiolum aliquod occurrere posset. In tertio enim puncto duplicem gratiam, illustrationis et piae motionis, petere iubebamur. Quum autem hic in quinto puncto dicatur deliberatio facienda esse secundum «Maiorem motionem rationalem,» quaeritur quid agendum sit, si quando desit pia illa motio voluntatis, stan-

te intellectus illustratione seu persuasione? Solvit Beatus Pater dubium in quadam epistola ad Doctorem Vergaram, qui quum Societatem ingredi cuperet, ad eamque se vocatum agnosceret; rem tamen non exequebatur, quia pia illa voluntatis motione carebat. Re ad Ignatium delata, ita respondit [1]: «Viam seu medium ad gustandum affectu et ad exsequendum cum suavitate id, quod ratio demonstrat esse ad maius Dei servitium et ad maiorem eius gloriam, Spiritus Sanctus melius quam quivis alius edocebit. Quamquam, ut verum loquar, ad ea sequenda, quae meliora sunt ac perfectiora, motio plane sufficit rationis. Voluntatis autem motio, etiamsi eius determinationem exsequutionemque rei minime praecedat, fieri tamen facile posset, ut hanc subsequeretur; quatenus Deus Dominus noster fiduciam in eius providentiam, integramque suimet in eum resignationem, et abnegationem propriarum consolationum uberi gaudio ac iucunditate remuneraret; eoque maiori spiritualis consolationis copia remuneraret, quo huiusmodi consolatio minus ambitur, et quo purius Dei gloria ac beneplacitum exquiritur.»

Ex quibus infertur, sufficere rationis motionem, ab-

1 Apud Alcazar, Chronohist. Prov. Tolet., Dec. II, Anno IV, cap. II, § 1. «El medio para gustar con el afecto y ejecutar con suavidad lo que razon dicta que es á mayor servicio y gloria divina, el Espíritu Santo le enseñará mejor que otro ninguno. Aunque es verdad, que para seguir las cosas mejores y más perfectas, suficiente mocion es la de la razon: y la otra de la voluntad, aunque no preceda la determinacion y ejecucion, podría fácilmente seguirla, remunerando Dios N. S. la confianza que en su providencia se tiene, y la resignacion de sí mesmo entera y abnegacion de sus propias consolaciones, con mucho contentamiento y gusto, y tanto mayor abundancia de espiritual consolacion, cuanto menos se pretende, y más puramente se busca su gloria y beneplácito.»

sente etiam pia voluntatis motione, ad id eligendum, quod maius est ac perfectius. Vtrum vero sufficiat ad id amplectendum, quod minus perfectum est, negandum videtur ex Ignatio, allato in Directorio, ut supra capite XVI dicebamus. Ait enim Beatus Pater: «Maiora utique signa requiri ad statuendum, quod ea sit Dei voluntas, ut quis in eo statu maneat, in quo satis sit servare praecepta.»

Sextvm punctum veluti colloquio, post peractum exercitium faciendo respondet. «Sextum, ait, facta tali electione seu deliberatione, debet is, qui eam fecit, ire multa cum diligentia ante conspectum Domini Dei nostri, et offerre illi talem electionem, ut divina sua Maiestas velit illam recipere et» ne forte in praeterita discussione quis error surrepserit, «confirmare, si maius eiusdem servitium et laus fuerit,» si nempe sanctissima sua ac beneplacens voluntas, et quidem intentiva, ut patet, ea fuerit, quam cognovisse inter eligendum videmur. Quod si ea non fuerit, ob aliquem ex humana imperfectione admissum errorem, ita suavi sua providentia res dirigat ac disponat, ut electio illa effectum suum non consequatur.

§ VI. de secvndo temporis tertii modo faciendae sanae et bonae electionis

Modus alter, quod ad praxim attinet, priori est facilior; in eoque fundatur, quod solet homo in aliquibus casibus minus abripi, aut minus saltem moveri, ab inordinatis animi affectionibus. Tres autem eiusmodi casus recenset Ignatius. Primus est, quando agitur de consilio alteri homini, cuius bonum ego cupio, et qui mihi ignotus est, praebendo. Secundus est, quando homini iam mors ingruit. Tertius, quando pro tribunali divino iudicandus sistitur.

Postquam ergo in prima regula docuit Ignatius necessariam esse electuro conditionem illam, de qua in puncto prioris modi secundo actum est, id est, «Vt ille qui eligit, sentiat primum in se, quod ille amor, quem plus aut minus habet erga rem, quam eligit, sit unice propter suum Creatorem ac Dominum;» docet rectam futuram esse electionem, primo, si illud mihi eligam, quod homini, quem numquam vidissem nec cognovissem, cui tamen omnem perfectionem desiderarem, eligendum suaderem: secundo, si id mihi nunc eligam, quod in articulo mortis constitutus, aut, tertio, coram supremo Iudice in ultimo temporum die iudicandus consistens, elegisse ac fecisse mallem. Quibus tribus peractis, «Ad meam salutem et quietem aeternam, faciam meam electionem, et oblationem Deo Domino nostro iuxta sextum punctum primi modi faciendi electionem.»

«Vterque hic modus, ait P. Roothaan, omni homini spirituali, suaeque perfectionis studioso, maxime vero Superioribus religiosis, familiaris esse debet, ut ad maiorem Dei gloriam» primo quidem «se;» deinde vero «sua;» tertio demum «suos» dirigant. Novimus etiam Sanctum Parentem hisce electionis modis perpetuo usum fuisse, quum Constitutiones Societatis conscriberet, itemque quum de negotiis gravioribus deliberaret.» Neque Superioribus solum electionis ratio saepe adhibenda est, sed etiam subditis: qui quidem etiamsi Dei voluntatem in rebus particularibus facile possunt, Superiores adeundo, cognoscere; multi tamen sunt casus, in quibus ipsi per semetipsos aliquid determinare debeant. Et primo quidem, quoties Superior adiri nequeat; secundo, quando in consilium vocatur, sive consultor sit, sive non; vel quando de aliqua re suffragium ab eo petitur: neque enim religionis gubernatio

per summam voluntatum subditorum dirigenda est; sed si quando consilium suffragiumve poscitur, ideo poscitur ut consultans petensve suffragium noverit quidnam alii censeant de divina circa rem particularem voluntate, ut vel certo ipse cognoscat nactum se fuisse divini beneplaciti rationem, si alios consentientes deprehendat, vel si illi dissenserint, iterum ad novam inquisitionem se conferat, donec quod expetit, reapse obtineat. Tertio denique, quia etiamsi in Societate subditis universis pateat recursus ad Superiores tum immediatos, tum etiam mediatos; at duo ad hoc observanda praescribuntur: prius, «Vt antequam ad eum quid referant, se ad orandum recipiant, et post orationem, si senserint rem deferendam ad Superiorem, id faciant. Alterum, etc. [1]» Quam vero ob causam orationem praemittere iubemur, nisi «Ne nos amor nostri iudiciumque decipiat?» Id enim in epistola de Obedientia admonemur. Quum autem ad divinae voluntatis cognitionem, seclusa omni proprii tum amoris tum iudicii deceptione, medium Beatus Pater subministret methodum hanc electionis recte instituendae; patet praemittendam illam orationem nihil aliud esse, quam usum earum regularum.

Totam hanc tractationem de recte eligendo absolvit Beatus Pater documento illo «Ad emendandam et reformandam propriam vitam et statum.» Vbi tria notanda sunt. Primum, dirigi documentum illud ad eos, qui «Sunt in praelatura vel in matrimonio» iam constituti; secundum, ad eos, qui praeterea «Non habent locum, vel» si quidem locus seu tempus suppetit, non habent «Valde promptam voluntatem faciendi electionem;»

1 Const. P. III. cap. II, § 1; et in Summario, Reg. 46; et in Epist. de obedientia.

tertium, ad eos, qui in statu immutabili, aut quem mutaturi non sunt, iam versantur, et electio eis facienda est «Rerum, quae cadunt sub electionem mutabilem.» Iis ergo utile fore Ignatius docet, si saltem de rebus quibusdam electionem forma nuper praescripta instituant. Et primo quidem, de subdita sibi familia, determinando in primis «Quantam domum et familiam habere DEBEANT,» non sane possint aut libeat, sed debeant; deinde, «Quomodo eam debeant regere et gubernare;» tertio tandem, «Quomodo eam debeant docere verbo et exemplo.» Quod vero spectat ad rem familiarem, decernendum est, primo, «Quantam debeant sumere pro sua familia et domo;» praeterea, «Quantam ad dispendendum in pauperes et in alias res pias.»

§ VII. DE REGVLIS IN MINISTERIO DISTRIBVENDARVM ELEEMOSYNARVM SERVANDIS

Notandum in primis est, vocari ab Ignatio «Ministerium distribuendi eleemosynas,» eorum munus, qui ob beneficium aut praelaturam ecclesiasticam ecclesiasticos redditus percipiunt. Qui videlicet redditus non modo ad honestam beneficium possidentis sustentationem, sed ad pauperum fidelium inopiam sublevandam aut ad alia pia opera iuvanda recipiuntur. Quum autem in determinanda reddituum quantitate sibi applicanda aliisque distribuenda falli homo ex inordinatis animi affectionibus facillime possit, electione utendum est, ut in re tanti momenti error nullus subrepat.

Quod ergo pertinet ad dignoscendam quantitatem aliis distribuendam, quoniam periculum errandi tunc maxime exsistit, quando distributio fit «Parentibus, vel amicis, vel personis, quas amo,» quaecumque tandem illae sint; proponit Beatus Pater instituendam electio-

nem, aut saltem reformationem, per posteriorem recte eligendi modum, quem in tertio tempore docuerat. Idque nunc repetit in hisce regulis a prima ad quintam exclusive.

Quod vero spectat ad quantitatem reddituum ecclesiasticorum sibi applicandam, illud in regula sexta animadvertit, quod «Quamvis nulla sit culpa in assumendis bonis Dei Domini nostri ad ea distribuenda,» nimirum, in ecclesiastico aliquo beneficio vel praelatura acceptanda, videlicet, «Quando quis vocatus est a Deo Domino nostro; tamen in [determinanda] quantitate, quam debet sumere et applicare sibi ipsi, ex iis, quae habet, ut det aliis, dubium [timor] est de culpa et excesu.» Vt igitur omnis error in hac re devitetur, ille qui tali fungitur ministerio, «Reformare se potest in vita sua et statu, per regulas supradictas,» a prima scilicet ad quintam.

Duo tandem in regula septima proponit: alterum, quod pertinet ad eos, qui in beneficio aut praelatura ecclesiastica sunt constituti; alterum vero, quod ad alium quemcumque vitae statum se extendit. Ad ecclesiasticos quidem beneficiatos ac praelatos, ita loquitur: «Propter rationes iam dictas, et multas alias,» quae profecto cuique, paulisper consideranti, patent, «Semper [tanto] melius est et securius in eo, quod ad propriam personam et statum domus [vel familiae] pertinet, quanto magis se [quis] restrinxerit, et [sibi] diminuerit.» Melius autem id erit ac securius, primo quidem, quia ita tanto «Propius accedet ad summum nostrum Pontificem, exemplar et regulam nostram, qui est Christus Dominus noster;» deinde vero, quia si ita fecerit, propius etiam accedet ad sanctorum Episcoporum vivendi rationem atque institutum: nam iuxta praedictam doctrinam «Concilium Carthaginense, cui

interfuit S. Augustinus,» splendidissimum illud perfectorum praelatorum sidus, «Decernit et mandat, ut supellex Episcopi sit vilis et pauper.»

Quod vero dicit de Episcopis aliisque, qui ecclesiasticos redditus accipiunt, id suo pariter modo ab universis, cuiuscumque tandem status sint, observandum etiam est, qui bona temporalia, a Deo, omnium bonorum largitore, acceperint. «Idem, ait, debet considerari in omnibus vivendi modis [seu statibus], habita ratione conditionis et status personarum, servataque proportione.» Habita, inquit, primo, ratione «conditionis» personarum: aliud enim facere poterit filius, aliud paterfamilias; aliud vir, aliud uxor; aliud dominus, aliud famulus, etc. Secundo, habita «status» ratione: plura namque distribuere aliis poterit qui solutus, pauciora, caeteris paribus, qui matrimonio sit coniunctus, quique plures filios sustentare debeat, etc. Denique subiungit: «Servata proportione:» etiamsi enim tum ecclesiastici proventus tum bona quaevis civili aliqua et iusta ratione adquisita, a Deo tandem donentur; attamen longe alia est utriusque, ut patet, donationis ratio. Bona enim ecclesiastica strictiori iure ad fideles egenos sublevandos destinantur.

Iis denique, qui matrimonio ligati sunt, proponitur exemplum Sancti Ioachim et Sanctae Annae, qui dividentes facultates suas in tres partes, primam dabant pauperibus, secundam ministerio et servitio templi, tertiam sumebant ad sustentationem suam et suae familiae.

Notatu denique summopere digna sunt verba illa, quibus Beatus Pater materiae electionum finem imponit. «Cogitet, ait, unusquisque, tantum se profectum facturum esse in omnibus rebus spiritualibus, quantum exiverit [exuerit se] a proprio suo amore, [a propria]

voluntate et utilitate [seu commoditate propria].» Quantum enim sese ab iis exuerit, tantum induet Christum; quantoque magis a seipso erit vacuus, tanto magis Deo eiusque donis replebitur.

CAPVT XVIII

DE FORMA EXERCITIORVM SECVNDAE HEBDOMADAE

Quamvis exercitium de regno Christi proprie loquendo ad secundam hebdomadam non pertineat, sed sit trium subsequentium hebdomadarum veluti principium ac fundamentum; attamen quod ad eius formam explicandam attinet, inter exercitia secundae hebdomadis recensebimus; quia ratio eiusdem perficiendi formae sequentium, quam praecedentium exercitiorum, est similior.

Exercitia porro secundae hebdomadis, ut superius innuebamus, duplicis sunt generis. Alia enim diversos continent gradus, in quos finis totalis in hac hebdomada consequendus dispertitur: alia vero tamquam media adhibentur ad fines illos partiales gradatim obtinendos. Ad prius genus pertinent quatuor illa praecipua exercitia, de regno Christi, de duobus vexillis, de tribus binariis, de triplici humilitatis gradu; ad alterum autem mysteria vitae Christi.

Tria prima ex illis quatuor exercitiis illud habent speciale relate ad formam, qua proponuntur, quod imitantur parabolas, quibus saepissime Dominus in erudienda plebe utebatur. In duobus primis, utraque parabolae pars, propositio atque applicatio affertur: tertium autem solam propositionem continet; quae sane adeo est perspicua, adeoque sese exercentis statum graphice describit, ut applicatione non indigeat. Quartum

denique proponitur per modum simplicis considerationis, nullo quidem praestituto ac fixo tempore faciendae, modo fiat «Ante quam quis ingrediatur in electiones,» ut ibi admonemur, quem videlicet «Multum iuvat considerare et advertere ad tres sequentes modos humilitatis, et considerando eas identidem per totum diem.» Quare forma huius exercitii simplicissima est, et formae valde similis eius, qua consideratio de Principio ac Fundamento peracta est. Reliqua vero tria exercitia cum exercitiis posterioris generis, quod ad formam spectat, ferme conveniunt.

Videamus ergo quid differant exercitia secundae hebdomadae ab exercitiis primae, in eorum principio, in medio, et in fine. Quod igitur ad principium seu ad praeludia pertinet, duplici illi praeambulo, loco compositioni et petitioni specialis gratiae, additur hic, primo quidem loco, ea quam «historiam» Beatus Pater vocavit. «Primum praeambulum est, inquit, adducere [in mentem] historiam eius rei, quam contemplari debeo.» Ratio vero huius praeambuli praeiiciendi est, quia deinceps facta sive historica, sive per parabolam conficta, contemplationi, (non, ut hactenus, meditationi), proponuntur. Qui autem fieri possit, ut facto spectator adsis, si factum aut mente actu non verses, aut prorsus ignores? Notandum tamen est, huiusmodi adiecto praeambulo carere exercitium de regno Christi.

Quod autem ad medium attinet, triplex hic pariter assignatur ratio sese exercendi: per contemplationem, per repetitionem, per applicationem sensuum. Repetitio nihil omnino differt a repetitione, quae in hebdomade prima fieri solita est. Sensuum deinde applicatio eodem etiam modo nunc est instituenda. Quatuor tamen hic obiter animadvertenda sunt. *Primum* est, post singula puncta reflexionem in nos non esse omitten-

dam, ut aperte Beatus Pater praescribit. *Secundum*, in auditus applicatione, audienda esse verba non modo prolata, sed quae verisimiliter possent proferri. «Audire, inquit, ea quae loquuntur, vel loqui possunt.» *Tertium*, olfactu et gustu, non ipsas personas attingendas esse, sed «Infinitam, ait, suavitatem ac dulcedinem divinitatis, animae, eiusque virtutum, et caeterarum rerum, iuxta rationem personae, quam contemplamur.» Quum enim duplex ille sensus valde sit materialis, eorum actus ab imaginatione ad intellectum Beatus Pater evehit. *Quartum*, idem potiori causa de tactu, qui magis adhuc est materialis, cavetur, ne scilicet sacras illas omnique veneratione dignissimas personas, Iesum, inquam, et Beatam Virginem, tangat; id quod esset liberioris ad minimum familiaritatis, et nonnumquam periculo obnoxium; sed «Amplexari, inquit, et osculari loca ubi tales personae vestigia ponunt, et sedent,» quod est animi reverentis atque ex humilitate demissi.

Hisce de repetitione atque applicatione sensuum praemonitis, videamus propriam huius hebdomadae exercitationem. Hanc Beatus Pater nominat «contemplationem,» quia in ea sic nos gerere debemus, quasi personarum rerumque, quae mysterio intersunt, spectatores simus: id sane propius ad contemplationem accedit, quam ad meditationem, quae fit veritatem aliquam considerando, ponderando, ut unum ex alio per discursum inferendo, voluntas tandem permoveatur. Ne vero memoria exercenda sit, additum est tertium illud praeambulum, primo loco positum, in quo facti historia ob oculos ponitur, ut inter contemplandum materia non desit, in quam mentis aciem quiete ac sine diversorum actuum successione defigamus, donec amoris affectus imitationisque studium in animo excitetur. Ita postulare videtur tum materia, tum finis horum

exercitiorum. Materia enim sunt facta: finis autem intima Christi potissimum cognitio, ex qua oriatur amor sacratissimae eius humanitatis, quo ex amore ad ipsius facta imitanda alliciar ac prorsus ferar.

Ideo illud adhibet Ignatius punctorum genus, quae supra vocaverat «capitalia,» in quae materia, velut in certa capita seu partes dividitur. Hae vero partes, in quas dividitur mysterium, tres sunt: prima, consideratio praesentium personarum; secunda, auditio verborum, quae loquuntur vel possunt loqui; tertia, consideratio operum, quae exsequuntur. Quando vero personae pauciores sunt, ideoque in singulis haec tria facile percurri possunt, unumquodque punctum singulis vel ferme singulis applicandum est, ut docemur in prima secundae huius hebdomadae contemplatione: si vero plures sint personae, quam singulae seorsim considerari possint, tunc ad certas veluti classes redigendae sunt, ut ibidem fit.

Nam quia in hac contemplatione intersunt, *primo*, universi terrarum orbis homines; in varias classes eos distribuit Ignatius, ut puta, ex diversitate vestium et gestuum, etc. «In tanta, inquit, diversitate, ita in vestibus, ut in gestibus; alios albos, et alios nigros; alios in pace, et alios in bello; alios plorantes, et alios ridentes; alios sanos, et alios infirmos; alios nascentes, et alios morientes; etc. *Secundo*, intersunt tres divinae personae: at quia eadem est ratio, qua tres mysterium hoc ingrediuntur, considerantur per modum unius: «Quomodo, ait, intuentur universam faciem et ambitum terrae, et omnes gentes in tanta caecitate, etc.» *Tertio*, Beata Virgo et Angelus, qui etiam sumuntur per modum unius.

Eodem pariter modo singularum seu personarum seu earum classium verba in secundo puncto, et facta in

tertio, contemplanda sunt. Vnde sequitur unumquodque ex tribus hisce punctis in tot partes seu nova puncta iterum dividi, quod personae in mysterio intersunt. En quam amplam contemplandi segestem, quamque uberrimam ac variam, unumquodque mysterium suppeditet.

Duplex proponit Beatus Pater eiusmodi contemplationis exemplum: alterum fusius explicatum, quale est prius seu de Incarnatione; alterum vero brevius constrictum, quale est posterius seu de Nativitate: quo duplici exemplo edocti, ipsam deinceps formam sequentium mysteriorum subiectae materiae applicare noverimus. Illud vero praetermittendum non est: quemadmodum in prima hebdomada semel tantum, nimirum in colloquio sub exercitii finem instituendo, reflexionem in nos praecipiebat; hic crebrius hanc reflexionem, scilicet, in fine cuiusque puncti, usurpandam admonet. Quamvis autem nullam explicet huius reflexionis formam; satis intelligitur, eamdem, quam in primo de peccatis exercitio posuit, aut similem, esse debere. Trina enim illa quaestio optima est in semet ipsum reflectendi ratio. Quid enim efficacius, quam revocare in memoriam me hactenus Dominum vel proximos eius imitatores imitatum aut non fuisse, aut parum fuisse, ut erubescam ac doleam, ut iam nunc imitari incipiam, ut in posterum me imitaturum serio constituam et proponam?

Quae quidem reflexio in seipsum maximam afferre potest utilitatem, praesertim in primo ac tertio puncto contemplationis de Nativitate et sequentium. Nam in primo puncto praecipit Ignatius ut «Faciam me pauperculum et servulum indignum,» non modo «contemplando illos,» sed «et serviendo illis in suis necessitatibus cum omni possibili obsequio ac reverentia.» Notatu sunt dignissima haec verba. Quum enim tota haec

secunda hebdomada eo tandem collineet, ut adducar ad Christi paupertatem humilitatemque imitandam, quod aptius medium ad id poterat excogitari, quam iam inde ab initio me adducere ut affectu et imaginatione «Faciam me pauperculum et servulum,» et quidem talis servitutis «indignum;» ac proinde quasi tanto honore dignatus, sanctissimis illis personis contremiscens serviam «Cum omni possibili obsequio ac reverentia?»

Idem dicendum de reflexione in tertio puncto per totam hanc secundam hebdomadam facienda. Quum enim Dominum intuear iter fecisse, tot aerumnas tulisse ac labores, ut nasceretur non maiori cum commoditate, sed e contrario in paupertate, eaque summa; natum vero fuisse ut novos ferret labores, ut famem ac sitim, ut aestum et frigus, ut iniurias et contumelias tot ac tantas pateretur, ut tandem inter tot dolores, tanta cum ignominia, tamquam scelestissimus hominum, in cruce moreretur; et haec omnia passum fuisse propter me: quid ego pro tam benefico Domino agere et pati debeo? quam paupertatem pro eo non feram? quas aerumnas, quot dolores, quas iniurias et contumelias non tolerabo? Haec sane est vis illorum verborum: «Deinde reflectendo capere aliquem fructum spiritualem.»

Huiusmodi reflexio, quae in contemplationibus de vita Christi sub finem cuiusque ex tribus punctis praescribitur facienda, deest in illis punctis, in quae quatuor illa, quae diximus, singularia exercitia distribuuntur. Tota enim eorum exercitiorum vis ac fructus in petitione et colloquio continetur, de quo statim agemus. Contemplationibus tamen illis in eo sunt valde similia, (dempto exercitio de triplici humilitatis gradu), quod in primo et secundo personae etiam, verba et opera potissimum proponuntur; in tertio autem personae dumtaxat et opera, ut legenti patet.

Quod igitur ad colloquia spectat, in eis maxime discrimen inter haec duo exercitiorum genera cernitur. Colloquium enim unum idemque pro singulis mysteriorum contemplationibus est: deinde fructus in illo intendendus nihil differt a fructu, quem in petitione postulare iubemur. Petitio enim pro tota hac hebdomada est: «Petere cognitionem intimam Domini, qui pro me factus est homo, ut MAGIS IPSVM AMEM, EVMQVE [magis] SEQVAR.» Colloquium vero fieri debet «Cogitando quid loqui debeam... ad Verbum aeternum incarnatum, vel ad Matrem [eius] et Dominam nostram; petendo secundum id, quod [quis] in se senserit, (nota reflexionem), [quae iuverint] ad MAGIS SEQVENDVM ET IMITANDVM DOMINVM NOSTRVM, ita recens incarnatum.»

In illis vero singularibus exercitiis mutatur colloquium, plusque aliquid in eo continetur, quam postulabamus in petitione, idque magis definitum ac determinatum: immo colloquium seu potius alloquium, primi exercitii sunt ipsa verba, quibus perficienda est oblatio eorum, «Qui magis affici volent, et insignes se exhibere in omni servitio sui Regis ac Domini universalis.» In colloquio autem exercitii de duobus vexillis, longe aliud profecto, quam in eiusdem petitione, postulamus; idque ita postulamus, ut intercessores etiam adhibeamus ac multiplicemus, prout in colloquio tertii et quarti primae hebdomadis exercitii feceramus. Id autem significat maximi sane esse momenti ea, quae postulanda proponuntur. Quanti vero sint momenti vel inde patet, quod eiusmodi colloquium, adiecta notula sequentis exercitii de tribus binariis, non modo per reliquam secundam hebdomadam, sed per totam etiam hebdomadem tertiam crebro, ne dicam iugiter, repetendum sit.

Vnde obiter infero, quemadmodum ad praecipuum

in secunda ac tertia hebdomada fructum obtinendum, sollemnem hanc colloquii rationem Ignatius instituit; ita eamdem in tertio et quarto hebdomadae primae exercitio praescripsisse, significare Beati Patris mentem esse, in hoc tertio et quarto exercitio contineri praecipuum hebdomadae primae fructum; ad cuius profecto consequutionem reliqua ibi exercitia dirigenda etiam sint, sicut in secunda ac tertia hebdomada contemplationes de mysteriis vitae ac passionis Christi Domini ad consequendum fructum, in colloquio exercitii de duobus vexillis cum adiecta nota exercitii de tribus binariis contentum, diriguntur.

CAPVT XIX

DE DOCVMENTIS AD SECVNDAM HEBDOMADAM PERTINENTIBVS

Primvm huius hebdomadis ac sequentium proprium documentvm agit de spiritualium librorum lectione, habeturque post exercitium de regno Christi, ubi «Pro secunda hebdomada, ait Ignatius, et ita deinceps, valde prodest legere subinde [aliquid] ex libris de Imitatione Christi, vel Evangeliorum, et vitarum Sanctorum.» Porro Beati Patris eam esse mentem, ut quae leguntur praesenti exercitio conveniant, nullo autem modo quae facienda deinde sunt anticipent, eruitur ex prima nota quintae contemplationi primae diei supposita, ubi «Advertendum, ait, est pro tota hac hebdomada et caeteris sequentibus, quod solum debeo legere mysterium contemplationis, quam immediate facturus sum: ita ut pro tunc nullum legam mysterium, quod illa die vel illa hora non facturus [contemplaturus] sim.» Causamque affert: «Ne consideratio unius mysterii impediat considerationem alterius.»

Secvndvm docvmentvm respicit exercitiorum faciendorum numerum. Postquam enim in secunda nota, loco citato, quinque de more tempora descripsit, quibus singula ex quinque solitis exercitiis peragenda sunt, in tertia nota docet, praestare ut initio huius hebdomadae secundae, omissa contemplatione mediae noctis, quatuor tantum praestitutis temporibus fiant. Causa vero nocturni illius exercitii omittendi triplex esse poterit. Prima, sese exercentis senectus; secunda, eiusdem debilitas naturalis; tertia, debilitas orta ex defatigatione ob primae hebdomadae laborem. Hanc vero remissionem, ibi concessam, etiam illi, qui nullam ex tribus allatis causis habeat, esse interdum utilem, fatetur ipse Ignatius, ex secunda ad quintam diem inclusive. «Interdum, ait, utile est, etiamsi is, qui exercetur, robustus sit ac dispositus, variari [aliquid] ab hac secunda die usque ad quartam inclusive, ut melius inveniat id, quod desiderat.» Vbi ratio sufficiens omittendi mediae interdum noctis exercitii agnoscitur a Beato Patre sola variatio, ut nimirum, ex hac immutatione veluti relaxetur sese exercentis animus, et «Melius inveniat id, quod desiderat.»

Duo vero hic ex P. Roothaan adnotabo. Prius est, causam huius relaxationis concedendae suadendaeque esse «Fortasse, ut ad grave electionis negotium, quod post hosce dies inchoandum est, mens alacrior ac minus fatigata accedat.» Alterum est, «Concessionem hanc ex autographo ad tres solum dies extendi, idque nonnisi interdvm utile esse dicitur: nequaquam vero extenditur ad tres istas hebdomadas, ut versio vulgata habet.» Ita enim vulgatus interpretatur: «Expedit nonnumquam cum, qui exercitatur, quamvis et vigore animi, et corporis robore sit praeditus, nonnihil tamen remittere de praescriptis exercitiis secundae huius hebdomadae et

SVBSEQVENTIVM DVARVM,» etc. Quod sane quam longe absit ab eo, quod in autographo habetur, nemo non videt.

TERTIVM DOCVMENTM ad aliquarum additionum mutationem spectat, secundae videlicet, sextae, septimae ac decimae ex parte. *Secunda* namque erit: «Statim ut excitatus fuero, ponere mihi ob oculos contemplationem, quam facturus sum, desiderando magis cognoscere Verbum aeternum incarnatum, ut magis illi serviam, et [magis illud] sequar.» Quae quidem tria, aeterni Verbi clarior cognitio, maiusque servitium, propiorque imitatio, eadem illa sunt, quae in tertio praeambulo et in colloquio postulanda praescribuntur.

Sexta erit: «Frequenter in memoriam reducere vitam et mysteria Christi Domini nostri, incipiendo ab eius Incarnatione usque ad locum seu mysterium, in cuius contemplatione versor.» Quemadmodum enim consideratio seu cogitatio mysterii postea contemplandi considerationem mysterii, in qua nunc versor, impedire ex Beati Patris mente, posset; ita recogitatio mysteriorum iam antea contemplatorum, et iugis eorum recordatio, proxime futuram contemplationem mirandum in modum adiuvant: simul enim percipiuntur particulares Dominicorum exemplorum cognitiones, ac proinde particularia argumenta, quibus ad Christum magis amandum, propiusque sequendum imitandumque sum permotus.

Septima erit, ut qui exercetur, eatenus curet tenere obscuritatem vel claritatem, [et] uti amoeno tempore vel diverso, quatenus senserit sibi posse prodesse et iuvare ad inveniendum id, quod desiderat.» Ratio eadem est, quae mox allegatur in usu poenitentiarum seu corporearum afflictationum. «Ille, inquit, qui exercetur, debet se habere iuxta mysteria, quae contemplatur: quia quaedam postulant poenitentiam, et alia non.»

Simili etiam ratione, affectus in alio mysterio excitandi claritatem ac laetitiam, in alio autem obscuritatem animique collectionem postulant.

Illud sedulo curae nobis esse oportet, quod ibi commendat Ignatius, «Vt fiant [serventur] omnes decem additiones,» nulla, neque specie tenus minima, neglecta: idque non quomodocumque, sed «Cum multa cura.» Adeo persuasus erat fructum obtinendum ab accurata additionum observatione pendere! Neque vero id semel commendasse sufficiens existimavit. Quum enim in prima hebdomada illud iam universe praecepisset, ut in singulis hebdomadis examen particulare de exacta additionum custodia fieret; heic vero «Cum summa cura omnes decem» servandas commendet: iterum in fine quintae diei praeceptionem illam ob oculos ponit. «Examen, inquit, particulare, post prandium et post coenam, fiet de defectibus et negligentiis CIRCA EXERCITIA et ADDITIONES huius diei, et sic in iis [diebus], qui sequuntur.» Quum enim secundam hebdomadam in duas illas, quas superius diximus, partes divisisset, rem tanti momenti initio utriusque partis praecipiendam duxit.

QVARTVM DOCVMENTVM in quinta nota continetur, estque huiusmodi: «In omnibus exercitiis, praeterquam in illis, quae media nocte et in aurora [fient], assumetur [aliquid], quod aequivaleat secundae additioni, modo qui sequitur: Statim ut recordabor adesse horam exercitii, quod facere debeo, ante quam vadam [ad illud], ob oculos mihi ponens [ponam] quo vadam et coram quo, resumens paululum exercitium, quod facturus sum: et postea faciens tertiam additionem, intrabo in exercitium.» Vbi duo notanda occurrunt. Prius est, hoc, quod Beatus Pater vocat «Aequivalens secundae additionis,» proprium solius hebdomadis huius secun-

dae videri. Nam in prima hebdomada in secundo notando, additionibus subiecto, aperte praecipit: «Quod prima et secunda additio fieri debeant pro exercitiis mediae noctis et sub auroram, ET NON PRO IIS, QVAE FIENT ALIIS TEMPORIBVS.» In tertia vero et quarta hebdomade, ea quae pertinent ad hanc secundam additionem, referuntur solummodo ad tempus, quo sese exercens a somno excitatur et surgit: quo tempore in tertia quidem hebdomada «Proponendum est quo vadam et ad quid, resumens paululum contemplationem, quam facere volo;» quae profecto eadem ipsa ferme sunt verba in illo «Aequivalenti secundae additionis» usurpata: in quarta vero hebdomada,» Statim, inquit, ut excitor a somno, ponere ob oculos contemplationem, quam facturus sum;» ubi ne verbum quidem habetur de «resumendo paululum exercitio.»

Alterum notandum est, ita hunc textum fuisse a vulgato interprete translatum: «Assumendum erit aliquid, quod secundae *et tertiae* additioni aequivaleat.» In quam translationem ita P. Roothaan: «In versione vulgata mendose irrepsit: *et tertiae*. Et revera ad solam secundam additionem haec nota pertinet. Tertia enim additio eadem est in omnibus Exercitiis, nec umquam variatur. Quod etiam ex postremis huius notae verbis, prout damus ex autographo, manifestum est.»

SEXTVM DOCVMENTVM illud est, quod vocat Ignatius «Praeambulum ad considerandos status.» Vbi quinque breviter edocemur. *Primum*, duplicem in Ecclesia dari generatim loquendo statum: primum ac secundum: primum, inquam, «Qui consistit, ait, in observantia mandatorum;» secundum vero, «Qui est perfectionis evangelicae.» Docemur *deinde*, utriusque nobis status exemplar sese Christum Dominum praebuisse: primi quidem, «Dum parentibus suis erat obediens;» secundi

vero, «Quando remansit in templo, relinquens patrem suum adoptivum et matrem suam naturalem, ut aeterni Patris sui servitio pure [unice] vacaret.» *Tertium*, quod hic docemur, est, Christum Dominum ab Incarnatione ad tempus, quo patrem et matrem dereliquit, ac deinde tota sua vita occulta, quam vocant, exempla dedisse primi status; secundi vero per totam suam reliquam vitam. Vnde secunda hebdomada, prout superius innuebamus, duas in partes dividitur. Prior agit de perfectione primi status qui ad universos christianos homines pertinet, utpote continens non modo divinorum praeceptorum observantiam, sed illorum praeterea consiliorum custodiam, quae praeceptorum observantiam tuentur ac perficiunt. Altera vero agit de evangelica perfectione, non sane universis communi, sed eorum dumtaxat propria, qui ad secundum hunc perfectioremque statum a Deo eliguntur ac vocantur.

Quarto docemur, a sequenti quinta die huius hebdomadae secundae illud esse nobis exquirendum, utrum velit Deus nos ad secundum huiusmodi statum eligere, necne: idque simul cum contemplatione mysteriorum vitae publicae Christi Domini esse nobis inquirendum. «Considerato, inquit, iam exemplo, quod Christus Dominus noster nobis dedit pro primo statu..., itemque pro secundo; incipiemus hoc loco, SIMVL CONTEMPLANDO EIVS VITAM, investigare et petere in quanam vita seu statu divina sua Maiestas NOBIS VTI ad suum servitium velit.»

Quinto denique docemur, in utroque illo statu, quem diximus, quemdam perfectionis gradum, cuique proprium, reperiri. Nam loquens Beatus Pater de proximo sequenti exercitio, quod est de duobus vexillis, quodque hic afferri ait «Pro aliqua introductione huius rei,» duplicem affert rationem cur ad hanc electionum

materiam apte per illud exercitium introducimur: prior est, quia «Videbimus, inquit, intentionem Christi Domini nostri, et ex adverso [oppositam intentionem] inimici naturae humanae,» Christi videlicet cupientis nos in aeternam salutem adducere; daemonis vero in sempiternum exitium subdole nos pellicientis. Altera vero est, quia videbimus etiam «Quomodo nos debeamus disponere, ut veniamus ad PERFECTIONEM in QVOCVMQVE STATV seu VITA, quam Deus Dominus noster eligendam nobis dederit.»

Quaeri autem hic posset, quanam de causa adductus fuerit Beatus Pater ad hoc ut non universos christianos homines, qui ad Exercitia accedunt, usque ad electiones induxerit, sed raros esse dixerit, qui ad eas inducendi essent, plerosque vero levioribus ad summum primae hebdomadis exercitiis esse instruendos? Nam quum in utroque statu quidam perfectionis gradus reperiatur; ad perfectionem vero primi status non aliqui solummodo, multo minus rari, sed universi christiani homines, ut alibi diximus, sint vocati: omnibus utilissimum fore videtur, ut per haec graviora secundae hebdomadis exercitia de perfectione primi status propria edoceantur, etiamsi ad praestantissimam secundi status perfectionem a Deo minime vocentur.

Respondeo, Sanctum Ignatium, quantum in se erat, nedum ullum hominem ab huiusmodi exercitiis faciendis excluserit, universos per ea excoli peroptasse. Neminem, inquam, saltem absolute exclusit. In primis enim illi, qui «[Tantum] se iuvari volunt ut instruantur, et ut perveniant ad certum gradum contentam reddendi animam suam,» potius se ipsi excludunt, quam a Beato Patre excluduntur. Deinde «rudiores seu illiterati,» quum ruditas haec seu litterarum imperitia, cuius causa ab integris Exercitiis excluduntur, per stu-

dium litterarum posse tolli supponatur, (secus enim illis annumerandi essent, qui ab Ignatio vocantur «Exiguum subiectum et parvae capacitatis naturalis),» iam eis est quodammodo, immo simpliciter, voluntaria. Quae quidem adeo imperfecta utriusque huius generis dispositio causa fuit cur Ignatius levissimis dumtaxat Exercitiis vacare permiserit, examini, inquam, utrique; et primo orandi modo, qui sane examinis limites vix transgreditur: quasi vellet rem imperfectam relinqui, ut ad meliorem illos dispositionem procurandam excitaret. Id quod apertius fit, si duplex hoc genus cum tertio conferatur, eorum nimirum, qui deprehenduntur «Esse exiguum subiectum vel parvae capacitatis naturalis, a quibus non speratur multum fructus.» Eis namque plura permittit, quam prioribus illis, praescribitque «Vt confiteantur frequentius quam solebant, ut SE CONSERVENT IN EO, QVOD ADEPTI SVNT:» supponendo adeptos iam fuisse omne id, quod iuxta parvam suam naturalem capacitatem adipisci possunt. Hos tamen ab ulterioribus Exercitiis non simpliciter vult exclusos, sed quatenus tempus, quod in eis exercendis impendendum esset, fructuosius cum aliis, melius dispositis ad integra Exercitia peragenda, impenderetur. «Maxime, inquit, quando in aliis maior profectus fieri potest, dum tempus deest [non sufficit] ad omnia.» Patet igitur ab integris Exercitiis faciendis vix ullum esse hominem, qui a Beato Patre absolute excludatur.

SEPTIMVM DOCVMENTVM in nota, exercitio de tribus hominum classibus seu binariis supposita, affertur. «Notandum, ait, est, quod quando nos sentimus affectum vel repugnantiam contra paupertatem actualem (id est, affectum actuali paupertati repugnantem; seu quod aliis verbis Ignatius dicit), quando non sumus indifferentes ad paupertatem et divitias, multum iuvat ad ex-

stinguendum talem affectum inordinatum, petere in colloquiis, etiamsi sit contra carnem, ut Dominus ipsum eligat ad paupertatem actualem.» En documentum omnium, paene dixerim, praecipuum, non modo ob eius universalitatem, sed ob eius etiam summam ad finem Exercitiorum consequendum efficaciam. Ob universalitatem quidem; applicari enim potest tum omni repugnantiae contra id, quod amplectendum sentimus, vel nobis accidendum timemus aut suspicamur; tum omni, etiam inculpabili, affectui erga rem, quam nobis esse noxiam cognoscimus. Ob miram praeterea eius efficacitatem: nam finis Exercitiorum est, «Vt [homo] vincat seipsum, et ordinet vitam suam quin se determinet ob ullam affectionem, quae inordinata sit.» Quaenam autem ratio possit efficacior ad seipsum vincendum cogitari, quam ad id eligi postulare, quod nobis est adversum, ideo solummodo quia adversum est? Quodnam utilius exercitium ad tollendas omnes male ordinatas animi affectiones? Inde illud orietur, quod in tertia decima adnotatione admonetur qui se exercet, «Vt non solum assuescat resistere adversario, sed etiam illum prosternere.» Quia ergo tanti momenti est documentum in hac nota contentum, praecipit Beatus Pater, ut non modo per reliquam hanc secundam hebdomadam, sed et per totam tertiam, quoties difficultates ac repugnantiae suboriantur, per dictam petitionem eas profligemus.

Quoniam vero heic agitur de actuali paupertate, cui animus repugnat, non absolute amplectenda, sed adiecta conditione, si ad eam me Deus eligere velit, sese exercentem protestari facit, «Se [id] velle,» et non solum velle, sed etiam «petere ac supplicare, dummodo sit servitium et laus divinae eius Bonitatis.» Non dixit «maius servitium et maior laus,» sed simpliciter «servi-

tium et laus,» ut significet Beatus Pater, eam esse animi dispositionem, huiusce petitionis ope ac iugi repetitione comparandam, ut actualem paupertatem, et in universum quidquid nobis repugnans eligendum accidat, non modo tunc amplecti parati simus, quando maius servitium maiorque divinae Bonitatis laus inde sequatur, sed tunc etiam quando par sit eiusdem laus ac servitium. Iter igitur iam inde sternit ad eam animi dispositionem, quam mox in exercitio «De triplici humilitatis gradu» adipiscendum proponet.

Octavvm documentvm sumitur ex triplici nota post duodecimam diem tradita. Vbi tria breviter docet. Primo, rationem, qua secunda haec hebdomada, prout res postulaverit, protrahenda vel decurtanda sit: deinde tempus, quo materia electionum sit inchoanda; denique, rationem electionum instituendarum, in proxime dicendis edoceri. Quo autem magis dispositus quis ad eligendum accedat, triplicem humilitatis gradum per totum diem identidem considerandum proponit, ut suo loco diximus.

CAPVT XX

DE EXERCITIIS TERTIAE HEBDOMADAE, DEQVE FRVCTV EX EIS ELICIENDO

Quaerenti cuidam a Christo [1]: «Quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?», respondit Dominus: «Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.» Quum autem adolescens respondisset: «Omnia haec custodivi a iuventute mea,» et «Quid adhuc, (iterum quaereret), mihi deest?» dixit Iesus: « Si vis perfectus esse, vade, vende quae

1 Matth. IX, 17, seqq.

habes..., et veni sequere me.» En his verbis descriptam utriusque status formam. Qui autem statum perfectionis elegerit, ut supponitur sese exercens elegisse in fine secundae hebdomadae, vendere debet quae habet, venire ad Iesum, eumque sequi. Quid autem sit ire post Iesum, diserte loquutus est ipse [1]: «Si quis, inquit, vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.» Quam sententiam ita Chrysostomus interpretatur: «Ne putes ad verba usque et contumelias atque opprobria abnegare seipsum oportere, dicit quousque abnegare semetipsum oporteat, id est, usque ad mortem, eamque turpissimam.... Quoniam multi opes quidem contempserunt et voluptatem et gloriam, mortem vero non spreverunt, sed pericula timuerunt; ego, inquit, volo athletam meum ad mortem usque pugnare. Quare si mortem obire oporteat, eamque turpissimam atque exsecrandam, et vel ex prava suspicione illatam, omnia fortiter ferre, atque ideo maxime exsultare oportet.» Hactenus Chrysostomus.

Qui profecto duplicem statuit gradum in hac Christi imitatione: alterum, eorum, qui «Opes quidem contempserunt, et voluptatem et gloriam:» qui videlicet gradus attingitur, aut saltem attingendus proponitur a Beato Patre, in secunda hebdomada: alterum vero, eorum, qui non modo spreverunt mortem, neque eius pericula timuerunt; sed «Si mortem obire oporteat, eamque turpissimam et exsecrandam, et vel ex prava suspicione illatam, omnia fortiter ferre, atque ideo maxime exsultare» parati sunt. Quanto priori illi posterior hic gradus sit perfectior, consideranti patet. Ea vero perfectio in Christi imitatione finis est hebdomadi Exercitiorum tertiae ab Ignatio praefixus, fructusque ex ea percipiendus.

1 Matth. xvi, 24.

Hunc autem esse fructum ex hac hebdomada eliciendum, eruitur *primo* ex petitione seu tertio primae contemplationis praeludio. «Erit hic, ait, [petere dolorem, sensum (hispanice *sentimiento)* et confusionem, quod ob mea peccata Dominus eat ad passionem.» *Secundo,* apertius idipsum declaratur in tertio secundae contemplationis praeambulo, quod ita effertur: «Petere id, quod volo, quod est proprium petere in passione, [scilicet] dolorem cum Christo doloribus pleno, confractionem cum Christo fracto [viribus, consternato] lacrymas, poenam internam de tanta poena, quam Christus passus est pro me.» *Tertio,* habetur in sexto puncto: «Sextum, inquit, considerare quomodo haec omnia patitur pro peccatis meis, etc.; et quid debeo ego facere et pati pro illo.»

Quis enim poterit ad ardua omnia et summe operosa perpetienda non sese offerre, quum cernat innocentissimum sanctissimumque Dominum universorum, atrocissima quaeque tolerantem pro vilissimo servo, pro indignissimo peccatore? Quid quod ille quum «Posset destruere inimicos suos, id non facit, sed sinit pati sacratissimam humanitatem tam crudelissime,» quae quidem ut crudelius patiatur, «Divinitas se abscondit,» ut sola humanitas, sine sensibili consolatione, tantae procellae fluctibus obruatur? Quid quod perinde ac si haec pauca essent, multo plura, multoque graviora aggredi paratus est? Et ego, qui meis peccatis aeternorum temporaliumque omnium cruciatuum ac malorum toties reus factus sum, egone, inquam, pro tam benefico Domino, tanta ac talia pro me passo, corpus et animam mundanis omnibus adversitatibus, aerumnis, tormentis, non offeram? Repugnantiam in toleranda actuali paupertate, quam elegi, in ferendis opprobriis atque iniuriis sub tam clementis Imperatoris vexillo, non supe-

rabo? Mortem denique ipsam, eamque turpissimam acerbissimamque, si opus sit, pro eo non lacessam, non subibo?

Notatu hic est dignum, quam mirabili arte fructus, in hac tertia hebdomada exquirendus, a Beato Patre proponatur. Etiamsi enim Christum Dominum exhibeat summam, quae cogitari potest, actualem paupertatem tolerantem, maximisque opprobriis atque iniuriis saturatum; non tamen in paupertate et in opprobriis amplectendis fructum huius hebdomadae reposuit, sed in «Dolore cum Christo doloribus pleno, in confractione cum Christo fracto, in lacrymis, in poena (et quidem) interna de tanta poena, quam Christus passus est pro me.» Cur tandem ita? Quia tota difficultas amplectendae paupertatis tolerandorumque opprobriorum ex eo oritur, quod molestias inde sequentes, duoque illa concomitantes, horreamus: simul igitur ac adducatur animus ad dolores, ad poenas, tum exteriores seu corporeas, tum interiores in spiritu perferendas, tota repugnantia ad paupertatem atque ignominiam perpetiendam evanescet, aut magna saltem ex parte debilitabitur. Ideo etiam sub fine colloquii admonemur de crebra iteratione illius «Notae, quae sequitur post Binarios;» itemque de sollemni illa trini colloquii forma, «Prout dictum est in secunda hebdomada, in meditatione de Binariis,» seu de Vexillis, ut legendum, auctore Patre Roothaan, est. Nulla enim esse debet repugnantia, quae ex patientis Christi contemplatione non sit superanda et ad nihilum redigenda.

Praeter hunc tamen praecipuum fructum, alii multi, qui in tertia hac hebdomada obtineri possunt, in colloquio recensentur. «Debemus, inquit, petere iuxta subiectam materiam, scilicet, *primo*, «Prout me reperio tentatum vel consolatum:» si tentatum, vires ad tenta-

tionem superandam inimicumque prosternendum; si vero consolatum, vires ad venturam desolationem perferendam. *Secundo*, «Prout desidero habere unam virtutem vel aliam,» actualem potissimum paupertatem, qua retibus diabolicis extricer; actualem etiam humilitatem, ex opprobriorum toleratione progenitam. *Tertio*, «Prout volo disponere de me in unam partem vel in alteram,» sive manendo in primo, quem vocat Ignatius, statu, seu in observatione mandatorum, sive in secundo, seu in evangelicorum consiliorum custodia, iuxta eam, quam in eligendo divinam voluntatem agnoverim. *Quarto*, «Prout volo dolere vel gaudere de re, quam contemplor:» quemadmodum enim innumerae adsunt in passione causae dolendi; ita non pauciores adsunt gaudendi de insuperabili Christi fortitudine, de victoria ex daemone, ex morte, ex peccato ab eo reportata; de mundo cum Patre reconciliato; de restauratis iis, quae in terra et in caelis sunt, et huiusmodi alia. *Quinto* «Tandem petendo ea, quae magis efficaciter circa res aliquas particulares desidero.» Ea namque est Dominica passio, in qua virtutes omnes, eaeque perfectissimo in gradu, splendent, hominisque imitationi patent; earumque omnium Rex ille fortissimus excellentissima praebuit exempla. Quare nulla umquam adversitas homini accidere poterit, quam ipse prius, et quidem multis partibus maiorem, pro hominis salute et doctrina in se non sit expertus.

Illud denique hic est summopere animadvertendum, qua arte commisceat tertiam hanc hebdomadam cum prima ac secunda. Cum prima quidem: nam ibi in secundo praeludio exercitii primi «Pudorem et CONFVSIONEM» petere iubet «mei ipsius, quum videam quam multi damnati fuerint ob unum peccatum mortale,» etc.; et in secundo exercitio «Petere, inquit, magnum

et intensum DOLOREM et lacrymas de meis peccatis:» hic vero in tertio praeludio primae contemplationis postulare praecipit «Dolorem, sensum [1], et confusionem, quod ob mea peccata Dominus eat ad Passionem.» Item, ibi in primo exercitio colloquium instituere iubet «Imaginando Christum Dominum nostrum praesentem et in cruce positum...» et «inspiciendo me ipsum [percontari ex me] quid egerim pro Christo, quid agam pro Christo, quid agere debeam pro Christo;» hic vero sextum omnium contemplationum punctum est: «Considerare quomodo haec omnia patitur pro peccatis meis, etc.: et quid debeo ego facere et pati pro illo.» Idem igitur petimus in utraque hebdomada, confusionem ac dolorem; in prima quidem ex causa illius hebdomadae propria, quod nempe alii ob unum peccatum damnati fuerint, et quod ego tot tamque gravia scelera patrarim: in tertia vero, quod «Dominus ob mea peccatae at ad Passionem.» Eadem praeterea animo recogitare debemus: in prima quidem «Quid agere debeam pro Christo?» in tertia autem «Quid facere et PATI debeam:» ubi apertius illud ipsum significatur. Quoniam autem per totam primam hebdomadam verba illa sunt versanda, patet totam illam hebdomadam cum singulis tertiae contemplationibus permixtam et eis imbibitam esse.

Cum tertia pariter coniungit secundam. Primo namque illud, quod est in secunda supremum, constituit finem totius hebdomadae tertiae. In tertio enim humilitatis gradu: «Volo, dicimus, et eligo magis paupertatem cum Christo paupere, quam divitias; opprobria cum Christo pleno opprobriis, quam honores: et magis desidero aestimari vanus [insipiens], et stultus pro Chris-

1 Hispanice: *sentimiento*, quod vulgatus vertit *indignationem*.

to, qui prior habitus fuit pro tali, quam [aestimari] sapiens ac prudens in hoc mundo.» Quid autem haec differunt a tertio praeludio in singulis contemplationibus hebdomadae tertiae faciendo? «Tertium, namque ait, petere id quod volo, quod est proprium petere in Passione, [scilicet] dolorem cum Christo doloribus pleno, confractionem cum Christo fracto, lacrymas poenam internam de tanta poena, quam Christus passus est pro me.»

Praeterea post colloquium primae contemplationis tertiae huius hebdomadis docemur iterum formam colloquii instituendi, quam alibi iam tradiderat Beatus Pater, ubi his verbis concludit: «Eadem forma, prout dictum est in secunda hebdomada, in meditatione de duobus binariis cum nota, quae sequitur post binarios.» En quomodo totam secundam hebdomadam a quarta die ad postremam cum singulis huius tertiae contemplationibus commisceat.

Neque vero prior secundae hebdomadae pars (ab initio usque ad duo vexilla) excludi censenda est: immo vero aperte includitur. Quemadmodum enim in contemplatione de Nativitate, in tertio puncto, spectandus proponitur recens natus Dominus iter faciens, labores et aerumnas ferens, ut nascatur in summa paupertate, «Et post tot labores, post famem, post sitim, post aestum et frigus, post iniurias et contumelias, ut [tandem] moriatur in cruce, et omnia haec propter me:» ita post primam contemplationem in tertia hebdomada, mutanda proponitur additio sexta, et iubemur revocare in memoriam, et quidem frequenter, «Aerumnas, labores et dolores Christi Domini nostri, quos pertulit a puncto, quo natus est, usque ad mysterium passionis, in quo nunc versor.»

CAPVT XXI

DE FORMA EXERCITIORVM TERTIAE HEBDOMADAE PROPRIORVM

Forma exercitiorum tertiae hebdomadae parum omnino a forma pro secundae hebdomadae exercitiis praescripta differt. Nam quod ad principium attinet, omissa praeparatoria oratione, quae numquam per universas quatuor hebdomadas mutatur, triplex instituitur praeludium, historia, loci compositio, ac petitio. Qua profecto in petitione duo notanda occurrunt. Primvs est, in petitione primi exercitii ea postulare nos iuberi, quae in utroque de peccatis exercitio in prima hebdomada poscere iubebamur, licet ordine inverso. «Petere, inquit, dolorem, sensum, (hispanice *sentimiento)* et confusionem.» Qui sane fructus ex levibus, ut ibi dicebamus, exercitiis eliciendus erat. Hi vero affectus nunc excitandi, etsi iidem illi sunt, causa tamen eorum longe alia est ac perfectior. Non enim dolere et pudore suffundi postulamus ob admissa simpliciter peccata; sed quia «Ob mea peccata Dominus it ad Passionem:» non igitur dolere et confundi flagitamus ob mala, quae nobis peccata nostra attulere; sed ob mala, quae innocentissimo Dei Filio intulerunt. Alterum est, eamdem petitionem in secundo exercitio fusius explicari, pleniusque ac perfectius proponi, fructuique respondere ex gravioribus illis exercitiis referendo. Ait enim: «Petere id, quod volo, quod est proprium petere in Passione, [scilicet] dolorem cum Christo doloribus pleno, confractionem cum Christo fracto, lacrymas, poenam internam de tanta poena, quam Christus passus est pro me.» Vbi dolor exponitur per synonymas voces, quarum conglobatione ac vi significatur agi hic non de

quacumque, sed de intensissima, dolendi ratione; de dolore, inquam, qui velut animum conterat ac disrumpat, et qui exterius per ingentem lacrymarum vim prodeat ac manifestetur. Eaque petitio, quae *propria* passionis appellatur, quasi prior illa minus propria esset, deinceps per totam hebdomadam tertiam instituenda est: illa vero, quae in primo exercitio proponitur, est quasi gradus ad hanc secundam petitionem, illa sane perfectiorem; quia praeter motivum ibi allatum, additur hic nobilior quaedam petendi causa. Hic enim dolemus non modo de poena tanta, «Quam Christus passus est pro me,» quod est gratitudinis ob liberationem a malo; sed poscimus «Dolorem cvm christo doloribus pleno, confractionem cvm Christo fracto,» quod est compassionis imitationisque perfectae in re humanae naturae tam repugnante.

Quod ad exercitii finem pertinet, seu colloquium, nihil in re novum praescribitur, quod praescriptum in hebdomada secunda non fuerit. Nam licet fusiorem rerum enumerationem afferat, de quibus colloqui, quasque postulare, iuxta subiectam materiam, possumus; tamen ea demum petenda proponuntur, «Quae magis efficaciter circa res aliquas particulares desidero.» Ratio vero id petendi, duplex hic erit: prior «Per unum solum colloquium ad Christum;» altera, «Si materia vel devotio ipsum [ad hoc] moveat, potest facere tria colloquia, unum ad Matrem, alterum ad Filium, tertium ad Patrem, eadem forma, prout dictum est in meditatione de binariis» id est, de duobus vexillis, «cum nota, quae sequitur post binarios.» En colloquia secundae hebdomadae, non modo illa communia, quae in contemplandis mysteriis instituebamus, sed sollemniora etiam alia, quae nonnisi in maximis et primae, ut ita dicam, notae exercitiis, facienda praescribebantur.

Quare ad mentem Sancti Patris tota haec hebdomada tertia ad eum gradum pertinet, qui in duabus praecedentibus existimabatur supremus atque excellentissimus: ac proinde proposita ibi concepta, confirmanda heic sunt, et ex maiori motivi nobilitate perficienda.

Denique quod ad medium, sive puncta, horum exercitiorum spectat, partim quidem cum exercitiis hebdomadae secundae convenit, partim ab eis differt. Convenit enim, in punctorum divisione iuxta personas, verba, et opera. Differt autem, quod triplici praedicto puncto tria nova puncta, eaque efficacissima, adiiciuntur.

Nam «Quartum, inquit, est, considerare ea, quae Christus Dominus noster patitur in humanitate, vel pati vult.» Vbi notandum est, *primo*, quamvis ex aliarum personarum, quae in singulis mysteriis passionis intersunt, consideratione, exque earum verbis ac factis perpensis, fructus non sane contemnendus hauriri possit; considerationem tamen divinae Christi patientis personae primo, principaliter, ac diutius versandam esse, atque ex ea praecipuum fructum referendum. *Secundo*, in Christi Domini consideratione, non ea modo, quae in sua sanctissima humanitate patitur, sed ea etiam, quae pati vult, recogitanda esse: quasi Dominus ex immensa, qua ardebat, erga homines charitate, multo plura cuperet pati, quam patiebatur: unde facile in considerante excitabitur desiderium patiendi pro Christo. *Tertio*, gravissimis uti et valde emphaticis loquutionibus Ignatium, ut affectuum intensitatem heic ciendorum exprimat. «Et hic, ait, incipere magno nisu, et conari [excitare me].» «Incipere,» inquit, quia id continuandum est «Per caetera puncta, quae sequuntur.» Incipere vero, non quomodocumque, sed cum nisu et conatu, et quidem magno. Niti autem et conari debeo excitare me «Ad dolendum, ad tristandum, ad plan-

gendum,» quod innocentissimus Dominus insons talia ac tanta patiatur.

Post consideratam humanitatem, ad divinitatem oculos convertere in quinto puncto iubemur. In divinitate vero considerandum est «Quomodo se abscondit,» scilicet, quomodo in effectus exteriores non prodit, ut ex duobus patet: primo, ex eo, quod «Posset destruere inimicos suos, et id non facit;» secundo, ex eo, quod posset sanctissimam humanitatem impassibilem reddere, aut saltem tormentorum vim mitigare, et tamen id non facit, sed «Sinit pati sacratissimam humanitatem tam crudelissime.» Vbi edocemur normam in nostris tribulationibus tenendam. Nam neque derelictos a Deo censere nos debemus, si quando sensibilem eius praesentiam minime experiamur; neque impotentem eum arguere, quod illos, qui nos tribulant, non destruat, aut saltem non coerceat; neque minus erga nos benevolum existimare, quod pati, etiam crudelia, nos sinat. Talia enim dilectissimum suum Vnigenitum perpeti permisit Pater.

Denique, (id quod est magis mirandum, et omni nostra gratitudine dignissimum), «Considerare, quomodo haec omnia patitur pro peccatis meis, etc.,» ne videlicet ego ad aeternos cruciatus, quorum peccando reus factus sum, damnarer. Reflectens igitur, in me, perpendam «Quid debeo ego facere,» et non facere solum, sed quid etiam debeo «Pati pro illo.» En tandem aliquando practicus fructus ex Christi patientis contemplatione hauriendus. Sterilis esset dolor, sterilis confusio, steriles lacrymae, sterile demum quidquid in petitione postulem, nisi firmissima concipiam proposita audendi magna tum agenda tum patienda, quibus gratum animum ostendam in amantissimum Redemptorem, qui tot dolores, tormenta, ignominias, mortemque tam crudelem pro me patitur.

Quanti Beatus Pater hanc tertiam hebdomadam momenti duxerit, erui potest tum ex hactenus dictis, tum ex speciali illa ratione, qua septimam seu postremam hebdomadae diem transigendam praecipit. «Septima die, inquit, contemplatio totius Passionis simul in exercitio mediae noctis et aurorae.» Neque enim satis esse existimavit, si tanta mysteria tamque efficacia ad fructum praecedentium hebdomadum provehendum et confirmandum, seorsim persequeremur; sed praeterea voluit, ut omnia simul uno veluti intuitu conspiceremus, quo altius animo defigeremus affectus in contemplatione patientis Christi ciendos, et proposita ibidem concipienda. Loco autem solitarum repetitionum sensuumque applicationis, tria per reliquam totam diem frequentissime consideranda proponit: *primum*. «Quomodo corpus sacratissimum Christi Domini nostri, remansit solutum et separatum ab anima, et ubi et quomodo sepultum;» quae sane animum supponunt ex passionis contemplatione perquam vehementer excitatum, quin et tenerrimo amoris affectu accensum. *Secundum*, «Item considerando solitudinem Dominae nostrae cum tanto dolore et fatigatione:» illius, inquam, sanctissimae matris, quae «Pro peccatis suae gentis, vidit Iesum in tormentis, et flagellis subditum; vidit suum dulcem natum, moriendo desolatum, dum emisit spiritum,» ut luget sancta Ecclesia. Quo quid tenerius, quid aliunde acrius dolendum, et ad ciendas compassionis lacrymas aptius? *Tertium* denique, «Ex altera parte discipulorum [etiam] solitudinem.» Subintellige, ni fallor, maxime Apostolorum, quorum profecto tam diversi erant affectus: puta fidelis constantisque Ioannis, infidelis poenitentisque Petri, proditoris ac desperati Iudae, fugitivorum latentiumque aliorum. En effectus passionis quam varii pro diversa animorum dispositione! Quam haec omnia utilissimorum documentorum sunt plena!

De ratione autem, qua summarium illud passionis in duobus illis exercitiis instituendum est, ita Pater Ferrusola: «Quadruplici, ait [1], id pacto fieri potest: primo, per ordinarias repetitiones; secundo, per applicationes sensuum; tertio, particularem aliquem affectum, eorum exercitiorum speciali ratione proprium, intendendo, ut puta, exercitiorum de passione, de duobus vexillis, seu amorem paupertatis, opprobriorum, doloris, qui modus vocari potest «Summarium ad particularem affectum excitandum;» quarto denique, per anacephalaeosin seu recapitulationem singulorum anteactorum exercitiorum, proposita in illis concepta confirmando, Deumque eiusque Matrem purissimam orando in eis perseverantiam: et hic modus appellari potest «Summarium per anacephalaeosin seu recapitulationem.»

CAPVT XXII

DE DOCVMENTIS AD TERTIAM HEBDOMADAM SPECTANTIBVS

Quinque a Beato Patre afferuntur propria huius hebdomadae documenta. Primvm igitur est quotidianorum exercitiorum in sua tempora distributio, iuxta dicta in aliis hebdomadis: ubi illud est animadvertendum, licere etiam exercitiorum quotidie faciendorum numerum deminuere: nam «Prout aetas, inquit, dispositio et complexio iuvat personam, quae exercetur, faciet singulis diebus quinque dicta exercitia vel pauciora.»

Secvndvm est, nonnullarum additionum mutatio. «In hac tertia hebdomada, ait, mutabuntur ex parte secunda et sexta additio.» Quod attinet ad secundam, tria facienda sunt: *primum*, «Statim ac excitatus fuero

1 P. II, Sect. VIII, cap. II.

a somno, PROPONENDO mihi quo vadam et ad quid;» *secundum*, «RESVMENS paululum contemplationem quam facere volo, prout mysterium fuerit:» quae duo in secunda hebdomada fieri iubebantur, ut ibi dicebamus, «In omnibus exercitiis, praeterquam in illis, quae media nocte et in aurora [fient],» nempe in duplici repetitione et applicatione sensuum; *tertium*, et quidem tertiae huius hebdomadis omnino proprium, «Adnitar, dum surgo et me vestio, ad tristandum et dolendum de tanto dolore et de tanta poena Christi Domini nostri.» Cur autem hoc non praecipiatur etiam de tribus reliquis exercitiis, causa videtur esse, quia id praecipi necessarium non fuit: nam ea, quae nunc contemplanda proponuntur, tam vehementer animum afficere debent, ut certe mentem in aliud diverti, vix fieri posse videatur: unde satis fuit, id praecipere pro momento, quo evigilamus, quando periculum aliquod divagationis ad aliena adesse poterat. In secunda vero hebdomada mens non tam acriter tangi solet; ideo necessarium duxit Beatus Pater praescribere pro tribus illis exercitiis aliquod «Aequivalens secundae additionis.»

Sextae additionis mutatio duo continet; prius est negativum: «Mutabitur, inquit, non procurando adducere [non admittendo] cogitationes iucundas, licet bonas et sanctas,» quae sane fructum, quem intendimus, impedire possent: alterum est positivum: «Sed immo, ait, inducendo me ipsum ad dolorem et poenam et afflictionem,» idque non ex quolibet motivo, sed ex causa huius hebdomadae propria, nempe «Trahendo mihi in memoriam,» et quidem non identidem, sed «frequenter, aerumnas, labores et dolores Christi Domini nostri,» non solum quos in passione pertulit, sed «a puncto, quo natus est» per totam vitam occultam et publicam usque ad mysterium passionis, in quo nunc versor,»

et non ulterius, ne cogitatio subsequentium, praesentis mysterii contemplationi officiat.

Tertivm est examen particulare. Vbi notandum, quum in prima hebdomada iubeat Beatus Pater fieri particulare examen «De defectibus et negligentiis circa exercitia et additiones» in genere, in hac tertia addere vocem illam «praesentes,» sicut in die quinta secundae hebdomadae addiderat illa verba: «Huius diei et sic in iis, quae sequuntur.» «Examen, inquit, particulare circa exercitia et additiones praesentes fiet, ut factum fuit in hebdomada praecedenti.» Quibus scilicet verbis specialem curam videtur postulare circa ea, quae sunt propria formae particularis exercitiorum, et quae mutantur in additionibus pro quaque hebdomada. Ait vero «Vt factum fuit in hebdomada praecedenti,» non vero in hebdomadis praecedentibvs, hac ipsa de causa; quia id iam in secunda hebdomada monuerat.

Qvartvm habetur in quodam Notando, postremae sive septimae diei subiecto, in quo rationem docet Beatus Pater producendae vel decurtandae hebdomadae tertiae, prout quis voluerit. Vbi tria notanda occurrunt: *Primum*, diutius in contemplanda passione immorari cupientibus, praescribi ut «Assumant in quavis contemplatione pauciora mysteria;» in quavis, inquit, contemplatione, nimirum, tum media nocte tum sub auroram instituenda, bis repetenda, cuique sint applicandi sensus, eodem prorsus modo, quem in hebdomada secunda producere volentibus praescripserat. *Secundum*, eis, qui tempus succidere malint, permittit, contra quam in hebdomada secunda fecerat, ut omittant solitas repetitiones applicationesque sensuum, utque earum loco novum semper mysterium contemplentur. «Faciat, inquit, quotidie quinque exercitia distincta, et in quovis exercitio [contempletur] distinctum

mysterium.» Quum enim tam similis sit cunctorum patientis Christi mysteriorum materia, ex quorum singulis affectus, qui quaeruntur, elici valeant; et aliunde ea quum sit materia, quae nullum vix discursum requirat, et facile sensus afficiat; minor est causa servandi perpetuum illum contemplandi, repetendi, sensusque applicandi ordinem.

Tertium est cupientibus tamen tum producere tum succidere passionis contemplandae tempus, praescribi summarium eiusdem passionis in fine instituendum, non minus quam illis, qui statutum dierum numerum servant: alia vero ratione aliis instituendum proponitur. Illi namque, qui diutius immorantur, «Sumant, inquit, uno die integro mediam partem totius passionis, et secundo die alteram partem, et tertio die totam passionem.» Alii vero «Post finitam ita totam passionem, possunt facere [contemplari] alio die totam passionem simul in uno exercitio, vel in diversis, prout magis sibi videbitur fructum percipere posse.» Tanti huiusmodi summariam totius passionis recogitationem Ignatius faciebat!

Gradum iam ad QVINTVM documentum faciamus, quod partim, ut dicemus ad quartam hebdomadam, partim ad tertiam spectat. Quum enim Beatus Pater in hac tertia hebdomada nihil immutandam duxerit decimam additionem, in quarta vero subsequente pro poenitentia temperantiam praescribat; conveniens fuit, ut de ea virtute exercitantem edoceret, sicut in prima hebdomada de poenitentia edocuerat. Quoniam vero temperantia delectabilia potissimum respicit, in quae appetitus facillime transgreditur medium virtutis, regulas tradit Ignatius ad victum recte temperandum, in quo potissimum spirituales viri peccare possunt, cum eo ex naturae necessitate utendum sit: quae quidem necessi-

tas in venereis minime adest; isque, qui se exercet, longe ab eis avocatus existimatur.

Iam vero inordinatio seu intemperantia in victu dupliciter irrepere potest: primo quidem in materia victus; deinde vero in ratione vescendi. In materia respici potest tum qualitas, tum quantitas. Porro causa deordinationis duplex est: prior appetitus inclinatio; altera daemonis tentatio. Quod ergo pertinet ad materiae tum qualitatem tum quantitatem, docet in Prima Regvla «Quod a pane minus convenit abstinere,» i. e. minus esse periculum excedendi in panis quantitate, ac proinde maiorem sumi posse. Et ratio desumitur ex eius qualitate, «Quia non est cibus, super quem appetitus tam inordinari [tam inordinate ferri], aut ad quem tentatio insistat [adeo impellat], uti ad caeteros cibos.» Ex causa contraria magis attendenda est in potu abstinentia, ut habetur in Secvnda Regvla: ac «Proinde multum debet considerari quid prossit, ut admittatur; et quid noceat, ut tollatur.» At vero circa pulmenta et edulia, quoniam maxima adest duplex illa inordinationis intemperantiaeque causa, «Servari debet maxima et maxime integra» non quidem temperantia, sed «abstinentia,» iuxta Tertiam Regvlam: idque alterutro ex duobus hisce modis: vel primo, «Quum [quis] assuescat manducare cibos grossiores,» propter quorum qualitatem maior quantitas assumi poterit; vel secundo, «Si sint delicati, [sumat] in parva quantitate.»

Hisce praenotatis, rationem docet Ignatius eam quantitatem determinandi, quae neque citra temperantiae medium se contineat, neque e contrario eius terminos praetergrediatur: quae quidem ratio duo complectitur. Prius est, quoddam veluti experimentum; alterum est, opportunius eius experimenti faciendi tempus. De priori illo ita statuit in Regvla Qvarta: «Ca-

vendo ne incidat in infirmitatem, quanto plus quis subtraxerit de convenienti [victu], tanto citius perveniet ad medium» nempe cognoscendum, «quod servare debet in manducando et bibendo.» Cuius rei causa duplex affertur: «Primo, quia sic adiuvans sese ac se disponens, saepe magis sentiet internas cogitationes, consolationes, et divinas inspirationes, quibus ostendatur sibi medium, quod sibi conveniat.» En secundum rectae electionis instituendae tempus, iuxta quod etiam docuerat determinandam esse poenitentiam, ut alibi dicebamus. «Secundo, [quia] si persona videat se in tali abstinentia nec tantis viribus corporis, nec dispositione [quae sufficiant vel aptum servent] ad exercitia spiritualia [peragenda], facile perveniet ad iudicandum quid magis conveniat sustentationi corporis.» Vnde, iuxta Ignatium, in eo medium temperantiae consistit, quod ea cibi quantitas, iuxta eiusdem qualitatem, sumatur, qua corporeae vires aptae serventur ad munus cuiusque proprium rite obeundum. Si minori quantitate obire valeas, peccas per excessum; si ex quantitate, quam sumis, ineptus efficiare, peccas per defectum.

Quoad tempus autem huiusmodi quantitatis determinandae, id habet Regvla Octava: «Multum iuvat post prandium vel post coenam, vel alia hora, qua non sentiat appetitum, determinare secum pro prandio vel coena proxime futura, et ita consequenter quotidie, quantitatem, quam conveniat sumere.» Duo praeterea observanda: prius, «Ne ob tentationem [ullam] procedat,» seu praefixos limites transiliat; alterum, «Sed immo, ad magis vincendum omnem appetitum inordinatum et tentationem inimici, si tentatur ad plus comedendum, comedat minus.» Ita enim non modo resistet inimico, sed eum expugnabit ac prosternet. Et haec quidem ad materiam pertinent.

Quod autem ad modum attinet, duo affert, quae mirae efficacitatis sunt. Prius in Qvinta Regvla, estque Christi Domini exemplum cum suis Apostolis vescentis, quem contemplandum inter vescendum proponit, primo, sumentem cibum; secundo, bibentem; tertio, respicientem; quarto, loquentem. «Et curet, ait, imitari, ita ut praecipue intellectus occupetur in consideratione Domini nostri, et minus in sustentatione corporis, ut ita capiat maiorem methodum et ordinem circa modum, quo se habere et gubernare debeat.» Alterum in Sexta Regvla habetur, estque priori valde simile, quatenus de occupando intellectu in aliqua pia consideratione agit, eo videlicet fine, ut «Attentione defixus in re tali, minus sumat delectationis et sensus in cibo corporali.» Quae tandem duo in Septima Regvla summarie ita expressit: «Super omnia caveat, ne sit totus animus suus intentus in id, quod comedit; neque in comedendo sit festinus prae appetitu: sed sit dominus sui tam in modo comedendi, quam in quantitate, quam sumit.»

Dixi autem hasce regulas ad victum temperandum partim ad tertiam partim ad quartam hebdomadam pertinere, quia licet temperantia, loco poenitentiae, in quarta hebdomada commendetur, at exercitatio subtrahendi de convenienti cibo, quanto plus quis possit, (quae proponitur in quarta regula, tamquam medium ad obtinendam temperantiam), est vera poenitentia; quae sane quantum a quarta hebdomada est aliena, tantum est valde propria tertiae. Vnde poenitentia, quae in tertia hebdomada fit in victu, praeter finem huius hebdomadis proprium, qui est «Dolere cum Christo doloribus pleno,» hunc alterum praeterea finem habet, ut per eam investigetur medium temperantiae in quarta hebdomada servandum. Quae quidem medii disquisitio apposite in tertia hebdomada praeci-

pitur, quae initium sumit a coena Christi cum Apostolis, cuius exemplum imitandum proponitur. Ex quibus infertur per totam hebdomadam in medium temperantiae dignoscendum incumbere oportere.

Duo in explicatis regulis observat P. Roothaan. Prius est, quod «Multae ex his regulis doctrinam continent, quae licet hic applicata ad victum sit, generatim tamen ad omnes actiones et affectiones ordinandas utilissime transferri potest. Alterum est, hanc utilitatem in octava potissimum regula cerni, iuxta quam, 1. Tempore tranquillo praevidere (debemus) occasionem, qua inordinatio facilius possit accidere;—2. in antecessum statuere quid in ea occasione agendum sit, ne tentationi succumbamus, scilicet, proponere tentationi contraria; — 3. quod si in tentatione dein constituti acrius tentemur, etiam plus agere contra illam quam quod prius constitueramus.»

CAPVT XXIII

DE CONTEMPLATIONIBVS RESVRRECTIONIS IN QVARTA HEBDOMADA

Quemadmodum Christus Dominus post toleratam turpissimam crudelissimamque mortem, resurrexit, et novam prorsus vitam in posterum vixit, vitam, inquam, nulli iam dolori, nulli humanae miseriae, nulli mutationi obnoxiam, sed beatam ex intuitione divinae essentiae, quae etiam beatitudo sacratissimo corpori communicata est: ita homo, qui vitam mortemque Christi imitatus, non modo peccatis, sed animi etiam passionibus mortem intulit, eisque contrarias virtutes, et quidem intensissimas suffecit, novam iam vitam vivere incipit, vitam nimirum sanctam in omnium virtutum

exercitatione, quarum habitibus instruitur. Porro in nova hac ratione vivendi, quemadmodum pravis ac vitiosis habitibus succedunt robustae virtutes singulis vitiis contrariae; ita cupiditati seu sui ipsius amori, cui omnia vitia famulabantur, succedere debet charitas Deique amor, a quo actus reliquarum omnium virtutum imperentur.

Vt igtur purissimus divini amoris affectus in animo sese exercentis excitetur, agit in primis Beatus Pater de excitando affectu tenerrimi amoris in Christum Deum, hominem quidem, at divinitate circumdatum, divinitate splendentem, divina prorsus miraculose operantem; deinde vero transferri curat amorem sacratissimae humanitatis Christi in charitatem erga Deum. Prius illud obtinendum est in contemplationibus de Christo ab inferis suscitato; posterius hoc in contemplatione ad amorem obtinendum.

Ad prius ergo quod attinet, tres affert causas amoris in Christum concipiendi, quae per totam hanc hebdomadem quartam in Christi resurrectione et apparitionibus diligenter versandae sunt. Prima est, divina Christi redivivi pulchritudo, ut habetur in quarto puncto: «Considerare, inquit, quomodo divinitas, quae videbatur se abscondere in Passione, apparet et ostendit se nunc tam miraculose in sanctissima Resurrectione, per veros et sanctissimos eius effectus.» Secunda est, bonitas Christi erga me: proponit enim in quinto puncto «Officium consolandi, quod Christus Dominus noster excercet,» nempe consolandi moestissimam Matrem, paventes Apostolos, sanctas illas mulieres, quae eius morti adstitere, discipulos omnes, qui eum sequuti fuerant: neque ab huiusmodi consolatione peccatores excludit; immo maiori eos teneriorique studio prosequi videtur: puta Magdalenam fervide amantem, Petrum

perfide negantem, Apostolos alios turpiter fugientes, modo cum fiducia accedant, modo desperatione non corruant, ut traditor Iudas. Quare et me, licet peccatorem, si accedam cum fiducia, si eius societati atque imitationi me addicam, procul dubio consolabitur. Denique tertia est, Christi benevolentia seu amor amicitiae erga me: nam in ipso quinto puncto speculandus proponitur Christus post resurrectionem, non quomodocumque consolans, sed «Comparando quomodo solent amici amicos consolari.» Quo quid tenerius dici aut cogitari potuit? quid suavius? quid iucundius? Et tamen in aparitionibus ita suos Christus Dominus solari dignatur; non modo ut magister discipulos, ut dominus servos, ut dux milites, ut mater filios, sed potissimum ut amicus solatur amicum.

Quorsus ista, nisi ut ego amorem etiam benevolentiae, amore concupiscentiae multo puriorem, in Christum concipiam? Amorem profecto benevolentiae, quo nimirum acrius de eius, quam de meo, ipse gaudio laeter: eaque est gratia in huiusmodi contemplationibus petenda, ut habetur in tertio praeludio: «Petere, inquit, gratiam ut laeter et gaudeam» et quidem «intense, de tanta gloria et gaudio Christi Domini nostri.» In quae verba ita P. Roothaan: «Bene advertenda est gratia, quae petenda dicitur. Est autem haec: «ut laetemur et gaudeamus,» idque «intense.» Qua vero de re gaudeamus? De gloria et gavdio christi domini nostri. Id quod in vulgata versione minus clare exprimitur illo verbo: «participemus.» Christum Dominum Regem ac Ducem nostrum, tam bene de nobis meritum, gloria et gaudio ineffabili fruentem contemplamur. Haec nostrae laetitiae vera ratio, ex amore erga Christum Dominum: qui amor purissimus atque sanctissimus huius hebdomadae praecipuus est fructus.» Praecipuum vo-

cat, non unicum, huiusmodi fructum: neque enim spei excitatio omittenda videtur. «Ita scilicet, subiungit, ut mysteria gloriosa possint quidem et debeant etiam nostrae fragilitati vires addere propter spem, quae hic excitatur, fore ut aliquando id fiat in membris, quod in capite iam videmus impletum; praecipuum tamen sit, ut de Christi gloria propter ipsum Christum gaudeamus, nostri ipsorum nostraeque propriae felicitatis tantisper veluti obliti.» Hactenus P. Roothaan.

Inde intelligitur discrimen inter amorem, quem iubebamur concipere in secunda hebdomada, cuius praeludium tertium est: «Petere cognitionem intimam Domini, qui pro me factus est homo, ut magis ipsum amem, eumque [magis] sequar,» et amorem in quarta hac hebdomada excitandum. Nam prima causa illius amoris afferebatur ibi intima cognitio Domini, qui pro me factus est homo; hic vero affertur triplex illa causa nuper exposita; deinde, finis illius amoris erat perfectior Christi agentis et patientis imitatio; hic vero amoris retributio ad amicitiam cum eo ineundam.

CAPVT XXIV

DE FORMA EXERCITIORVM QVARTAE HEBDOMADAE PROPRIORVM

Forma exercitiorum in hac hebdomada quarta, quorum materia est Christus Dominus e mortuis suscitatus, formae pro tertia hebdomada praescriptae valde est assimilis: contemplatio vero postrema ad amorem obtinendum formam habet omnino singularem. Priorum igitur forma, quam de more proponit Beatus Pater in prima huius hebdomadis contemplatione, praeter solitam orationem praeparatoriam continet initio quidem consueta tria praeludia; in fine colloquium vel plura

colloquia iuxta subiectam materiam ; in medio autem puncta quinque, quorum prima tria eadem sunt, «Quae habuimus, inquit, in coena Christi Domini nostri.» Cur autem ad coenam hic remittit Beatus Pater, non vero ad incarnationem et nativitatem, ubi tria haec puncta non modo primum, sed fusius etiam explicantur ? Mea quidem sententia duplici id de causa fieri potuit. Primo, quia praecise in coena brevior proponitur illa ipsa forma adhibita in duobus illis secundae hebdomadae exercitiis; homini autem, iam saepius per hanc formam exercitato, sufficit brevior huiusmodi formae explicatio. Deinde, quia contemplatio coenae, utpote quartae huic hebdomadi propinquior, facilius in memoria revocatur.

In tribus igitur primis punctis convenit quarta cum secunda ac tertia hebdomada : ab utraque vero differt in duobus punctis quartae huic hebdomadi peculiaribus. «Quartum, inquit, considerare quomodo divinitas, quae videbatur se abscondere in passione, apparet et ostendit se nunc tam miraculose in sanctissima resurrectione per veros et sanctissimos eius effectus.» Notanda hic sunt verba Ignatii, tenerrimae devotionis plena, quibus «sanctissimam» appellat Dominicam resurrectionem, «sanctissimos ac veros» resurrectionis effectus, quibus illuminata mens et purissimo gaudio affectus animus veluti ab obscurissimis passionis tenebris ad splendidissimi solis regionem transfertur. « Quintum, subiungit, speculari officium consolandi, quod Christus Dominus noster exercet : et comparando quomodo solent amici amicos consolari.» En descriptam ingenitam Christi indolem, cuius officium, munus, voluntas, est suos consolari, qui cum ipso contristati fuerint et per compassionem eum fuerint in suis doloribus consolati. Solatur vero suos quasi, deposita maiestate, par parem, familiaris familiarem, amicus amicum solet consolari.

Et haec est forma in contemplationibus hebdomadae quartae servanda usque ad ascensionem inclusive. «Prosequendo et servando, ait, de caetero in tota hebdomada resurrectionis eamdem formam et methodum, quae servata fuit in tota hebdomada passionis... Atque ita in reliquis omnibus, potest se regere iuxta modum hebdomadae passionis, ut in repetitionibus, in sensuum applicationibus, in abbreviandis vel extendendis mysteriis.»

CAPVT XXV

DE DOCVMENTIS AD QVARTAM HEBDOMADAM SPECTANTIBVS

Ad quatuor potissimum huius hebdomadae documenta revocantur. Primvm est de numero exercitiorum quotidie faciendorum, de quibus absolute asseritur, «Communiter in hac quarta hebdomada magis convenire, quam in caeteris tribus praeteritis, facere quatuor exercitia et non quinque,» omittendo videlicet exercitium mediae noctis, et unam dumtaxat repetitionem instituendo.

Secvndvm pertinet ad unam eam repetitionem. Vt enim alibi notavimus cum P. Roothaan, quum alibi Sanctus Pater de repetitionibus agens, semper remittat simpliciter ad formam praescriptam in primae hebdomadae exercitio; hic non ita, sed sistendum dicit in iis, in quibus «Maiorem motionem et gustum spiritualem senserimus,» nec iubet sisti etiam in illis, in quibus senserimus desolationem. Praeterea, diutius quoque immorari praecipit «In partibus principalioribus,» nimirum mysterii, quod fueris contemplatus. Quaenam autem sint huiusmodi partes principaliores, non significat Beatus Pater. In genere autem illae videntur esse absolute quidem principaliores, quae ad nobiliorem per-

sonam, eiusque verba et facta pertinent; respective autem, illae, quae sese exercentis necessitati ac dispositionibus aptius respondent, et ad fructum, qui quaeritur, eliciendum sunt magis idoneae. Dubitari tamen posset, utrum in his duobus, quae diximus, immorandum diutius sit in sola repetitione, an etiam in applicatione sensuum: verba namque Beati Patris ad utramque referri possunt; immo quum immediate post sensuum applicationem ponantur, huic potissimum applicationi referenda esse videntur. Existimo illa verba afficere utrumque exercitium repetendi sensusque applicandi; quia ratio diuturnioris illius immorationis pro utroque exercitio valet, ut rem paulisper consideranti patebit.

Tertivm pertinet ad normam quamdam generalem in numero punctorum pro quolibet exercitiorum definiendo. Vbi duo traduntur: prius est, illum, qui contemplatur, posse exercitium in plura vel pauciora puncta redigere, quam in libro distributum exercitium deprehendit; id vero faciendum est non profecto qualibet de causa, sed «Prout melius se [habere] reperiet,» sive ad conciliandam facilius attentionem, sive ad exercitium minori cum molestia aut uberiori cum fructu peragendum. Alterum est, ad id fructuosius obtinendum, «Multum iuvare, priusquam quis intret in contemplationem, coniecturare [praevidere coniectura probabili] et definire puncta, quae assumere debet, certo numero.

Dixi hanc normam esse generalem, applicari videlicet posse non modo hebdomadis huius quartae, sed trium etiam praecedentium exercitiis. Ita enim eruitur ex verbis Beati Patris: dicit enim: «Quamvis in omnibus contemplationibus data sint tot puncta numero certo [definita], puta tria,» ut in secunda hebdomada et in primo exercitio primae, «vel quinque» ut in tertia heb-

domada et in secundo primae exercitio: ubi aperte triplex illa hebdomada significatur. Quae quum ita sint, quaeri hic potest, quanam de causa Beatus Pater adductus fuerit, ut hanc libertatem, quae hic pro omni hebdomade tribuit, non initio, sed nunc in fine Exercitiorum, commemorarit? Mea quidem sententia ita se gessit duplici potissimum de causa. Primo, ut quantum fieri posset, statutum a se punctorum numerum in singulis hebdomadis retineremus, neque anxii essemus de eorum numero determinando: secundo, ut intelligeremus, praestitutum punctorum numerum nonnisi gravi de causa minuendum vel augendum esse; iudicem vero in hac causa non oportere ut sit ille, qui primum accedit ad Exercitia, rerum adhuc spiritualium nihil aut sane parum expertus; sed ille, qui Exercitia tradit, et huiusmodi documenti notitiam habet, ut applicare possit, si expedire censeat.

In QVARTO denique documento agitur de additionum iuxta subiectam materiam et intentum scopum immutatione. Additiones autem, quae mutari debent, sunt secunda, sexta, septima et decima. «Secunda erit, statim ut excitor a somno,» ac proinde hoc dumtaxat tempore servanda est, ut in prima ac tertia hebdomada, «ponere ob oculos contemplationem, quam facturus sum,» id vero ita ut ad finem huius hebdomadis consequendum iuvet, nempe «Volendo affici et exhilarescere de tanto gaudio et laetitia Christi Domini nostri.» Ad eumdem finem curabo, iuxta sextam additionem, quidem, «Memoriae obiicere et cogitare res, quae movent ad delectationem, hilaritatem et laetitiam spiritualem, ut de paradiso:» iuxta septimam vero, corpoream etiam nonnullam voluptatem carpere licebit, innoxiam profecto; immo «In quantum anima existimat vel coniectura supponit, sibi posse esse adiumento ad gaudendum

in Creatore et Redemptore suo.» Eiusmodi erunt, primo, «Vti claritate [lucis];» secundo, «commoditatibus tempestatis, ut veris et aestatis tempore, refrigerio [aurae, herbarum, florum]; et hyemis tempore sole vel [ignis] calore.» Decima tandem ita mutanda est, ut «Loco poenitentiae, attendat ad temperantiam et [ad tenendum] medium in omnibus.» Excipe tamen «Nisi [sit tempus, quo] praecepta sint ieiunia vel abstinentiae, quas Ecclesia indicit: quia haec semper impleri debent, nisi adfuerit iustum impedimentum.»

CAPVT XXVI

NONNVLLA NOTATV DIGNA IN CONTEMPLATIONE AD OBTINENDVM AMOREM

Inde a primo exercitio hebdomadae primae usque ad Christi in caelos ascensionem, Christus Dominus propositus est, ei, qui exercetur, primo quidem Redemptor, a quo ab innumeris temporalibus malis atque a morte ipsa aeterna liberatus est; deinde vero dux ac magister, a quo per asperam salebrosamque salutis viam quasi manu est ductus; tertio denique, benevolentissimus amicus, qui eius amicitiam benevolentiamque sollicitaret. Postquam autem sacratissima Christi Domini humanitas in ascensione ex humanis oculis evanescit, contendit Beatus Pater eum, qui exercetur, veluti in immensum ipsius divinitatis pelagus immergere, ut vitam tandem divinae potius quam humanae vitae similem ducere incipiat. Est igitur contemplatio ad amorem obtinendum initium quoddam vitae perfectioris et proprie dictae contemplativae. Ita docet P. Suarez. «In fine, inquit [1], illius (quartae) hebdoma-

1 De Relig. Soc. Iesu, Lib. IX, cap. VI, n. 9.

dae addita est contemplatio ad amorem spiritualem in nobis excitandum, quod maxime pertinet ad contemplationem. Est autem animadvertendum, in hoc gradu contemplationis seu viae unitivae distinguendum esse initium eius, seu totum id, quod habet rationem viae, a termino, qui est ipsa unio cum Deo cum quadam veluti simplici intuitione veritatis. Nam in priori parte huius viae servanda est eadem forma orandi et meditandi, quae in caeteris servatur, paucis mutatis, et accommodando materiam scopo et fini intento; in posteriori autem parte nulla certa forma vel modus praescribi potest, quia in simplicissimo actu consistit, magisque recipiendo, quam inquirendo, perficitur, quamvis cooperatio hominis non excludatur. Hac igitur ratione P. N. Ignatius, attingendo hunc gradum ultimum contemplationis, ea quae pertinent ad initium eius, et ad formam et materiam in illo servandam et applicandam sufficienter proposuit, contentusque fuit ponendo sapientes in via; nam quod reliquum est, magis ad magisterium Spiritus Sancti, quam hominis, spectat...»

Est ergo postrema haec contemplatio tamquam terminus, ad quem per spiritualem Exercitiorum artem pervenitur; ac proinde extra ipsius artis rationem, proxime tamen, reperitur. «Et ob eamdem causam potissime nos docuit (Ignatius), suiungit P. Suarez, versari circa Christi humanitatem, quia illa est ostium, per quod ad divinitatem introducimur... Vnde intelligimus, hanc spiritualem artem ad summum posse nos dirigere circa meditationem humanitatis Christi, sub qua comprehendi potest omnis elevatio mentis ex creaturis ad Deum, nam quod altius est non cadit sub humanam industriam... Ob hanc ergo causam haec Exercitia in his meditationibus potissime insistunt.» Vnde praeterea infertur, hanc contemplationem proprie non pertinere

ad quartam hebdomadam, eo quod diversum habeat finem, diversam formam ac materiam. Materia namque hebdomadae quartae est gloriosa Christi humanitas; heic vero universa tum creationis tum redemptionis beneficia a Deo accepta, quod ad primum punctum spectat; in tribus autem subsequentibus punctis est divinitas praesens et operans in creatis rebus, in eisque veluti splendens. Quam diversa deinde sit forma, patebit ex dicendis. Nec minus perspicua est finium diversitas: nam in quarta hebdomada exquiritur amor humanitatis Christi; in postrema vero contemplatione amor divinitatis.

Id autem confirmatur ex eo, quod iam animadvertit P. Roothaan, praefatam nempe contemplationem in autographo collocatam esse extra seriem contemplationum ab Ignatio quartae hebdomadae assignatarum. Quum enim in autographo post viginti illas adnotationes, quae initio libelli traduntur, in capite cuiusque paginae notatum perpetuo legatur: PRIMA HEBDOMADA, SECVNDA HEBDOMADA, TERTIA HEBDOMADA, QVARTA HEBDOMADA; ubi tamen ad «Contemplationem ad obtinendum amorem» ventum est, atque deinceps usque ad finem, omittitur inscriptio illa: QVARTA HEBDOMADA. Idque videre licet in nuper edito a Patribus Castellanae Provinciae «Thesauro Spirituali Societatis Iesu,» in quo Spiritualia Exercitia ad fidem autographi reddita sunt.

Illud etiam ex dictis inferri potest: quemadmodum consideratio de Principio et Fundamento continet tum principium, ex quo particulares huius spiritualis artis regulae et operationes deducuntur, tum fundamentum, cui tota Exercitiorum fabrica innititur; ita e converso punctum primum contemplationis ad obtinendum amorem nihil aliud esse quam anacephalaeosin quamdam atque universorum Exercitiorum recapitulationem, ac

totius aedificii spiritualis, arte industriaque humana exstructi, culmen ac fastigium. Quod enim ad recapitulationem attinet, quis non videt in verbis illis, quae in primo hoc puncto leguntur: «Adducere in memoriam beneficia creationis, redemptionis, et dona particularia,» contineri, brevissime sane, id omne, quod in Principio et Fundamento de hominis aliorumque rerum creatione, et in quatuor hebdomadis de Christi gestis propter hominem persequuti sumus? Quaenam, quaeso, strictior tot ac tantarum rerum anacephalaeosis fieri poterat? Quod autem pertinet ad fastigium, illud prae oculis habendum est: primo, quod nunc considerantur tamquam beneficia a Deo collata, tum dona creationis, ex qua in Principio et Fundamento inferebamus officium recte utendi rebus creatis ad ultimum finem consequendum, tum etiam vita, mors ac resurrectio Christi, quam contemplabamur ad eius imitationem ineundam atque ad morum reformationem. Ea vero omnia considerare tamquam accepta beneficia, excellentius quid est. Deinde, ex facto quidem creationis inferebamus ibi officium laudandi Deum, eique reverentiam, et maxime servitium exhibendi; ex facto autem redemptionis, seu ex vita, morte, ac resurrectione Christi, ad Verbi incarnati amorem impellebamur, quatenus ex eiusdem amore facilior efficaciorque ipsius sequela atque imitatio reddebatur. Hic autem ex utroque simul beneficio non ad unum servitium, sed ad servitium et amorem compellimur; non iam incarnati Verbi, sed Dei, qui statim in tribus subsequentibus punctis proponitur auctor non certe gratiae seu ordinis supernaturalis, sed naturae, id est, creatarum rerum esse conservans, operationibus concurrens, ipsarumque causa exemplaris; quae tria non ad personas, sed ad naturam divinam pertinent. Vbi notatu est dignum, Exercitia et a Deo

creatore initium ducere, et in Deum conservatorem, cooperantem, rerumque creatarum exemplarem causam desinere: id est, in eis homo ad Deum, a quo per peccatum recesserat, per Christum reducitur, illique amore coniungitur.

Divinas vero personas hic a Beato Patre ne nominari quidem, eo est magis mirandum, quod ipse beatisimae Trinitatis cultor eximius fuerit, ab eaque supernis saepissime fuerit visitationibus recreatus; idque non modo in postremis sua vitae annis, verum etiam dum recens ad meliorem frugem receptus, Manresae versaretur. «Quum magna, inquit Rivadeneira, erga tres sanctissimae Trinitatis personas devotione teneretur, singulisque suas preces statutasque quotidie persolveret, die quadam in scalarum gradibus templi Dominicanorum [1] consistens, et horarias Beatae Virgini preces recitans, coepit ita in Deum intellectu ferri, quasi sanctissimam Trinitatem specie quadam visibili id significante exterius, quod interius percipiebat, cerneret..... Quae res ita in eius mente hoc ineffabile mysterium inscripsit ac veluti impressit, ut illo ipso tempore, homo legendi scribendique tantum sciens, de eo librum scribere sit aggressus [2].» Neque solum ipse materiam hanc de Trinitate versabat, sed aliis etiam versandam suadebat, quos ad tantam rem dispositos arbitrabatur. Borgiae namque, Gandiae adhuc duci, quem iamdiu sciebat unum esse ex iis, qui «Sentiunt totum nostrum aeternum bonum (id est, Deum) exstare in rebus omnibus creatis, dans et conservans omnibus esse infinito suo esse ac praesentia [3],» suadebat, ut ab afflictando cor-

1 Exstat hodiedum Manresae templum illud.
2 Vita S. Ign., Lib. I, cap. VII.
3 Cartas de S. Ignacio, Tomo I, Carta LXIV.

pore temperaret, potiusque «Magis immediate quaereret Dominum universorum, nimirum, sanctissima eius dona, qualia sunt lacrymarum effusio vel guttae, sive, primo, ob peccata propria aut aliena, sive secundo, in mysteriis Christi Domini nostri in terris aut in caelo versantis, sive tertio, in considerandis ac diligendis divinis personis [1]. En primam hebdomadam, quae est de peccatis; tresque subsequentes, quae agunt de Christi humanitate, quae duo sub artem cadunt: en tandem contemplationem, quae extra humanam industriam est, et cuius initium incipit ab speculatione Dei auctoris naturae.

CAPVT XXVII

DE PRIMO PVNCTO CONTEMPLATIONIS AD OBTINENDVM AMOREM

Animadvertendum in primis est, contemplationem, de qua nunc agimus duplici parte constare, longe inter se diversa. Prior in puncto primo, altera in reliquis tribus continetur. Primum enim punctum per se spectatum constituit perfectum exercitium, suo constans principio, suo medio et fine. Principia quidem: nam omissa praeparatoria oratione, quae pro universis exercitiis immutata praemittitur, utrumque praeambulum, loci nempe compositio et specialis gratiae petitio, ad unum solummodo primum punctum attinent. Compositio enim hic est: «Videre quomodo consisto coram Deo Domino nostro, Angelis et Sanctis interpellantibus pro me.» Atqui in reliquis punctis solus Deus, omisso angelorum Sanctorumque pro me interpellantium comitatu, speculandus proponitur. Petitio autem ita af-

1 Cartas de S. Ignacio, Tomo II, Carta CXLIII.

fertur: «Petere cognitionem internam tot ac tantorum bonorum [a Deo] acceptorum, ut ego integre recognoscens, possim in omnibus amare et servire divinae suae Maiestati.» Iam vero divina beneficia cognoscenda et recognoscenda proprie in primo puncto proponuntur.

Medium etiam in primo puncto longe differt a medio trium reliquorum. In primo namque exercentur tres animae potentiae, non secus ac in prima hebdomada: rememoratio ibi: «Adducere in memoriam beneficia accepta creationis, redemptionis et dona particularia:» ponderatio et voluntatis affectus ibi: «Ponderando» et quidem, «Multo cum affectu quantum fecerit Deus Dominus noster pro me; et quantum mihi dederit ex iis, quae habet; et consequenter [quantum] desiderat dare seipsum mihi,» etc. Vbi tria ponderanda, sicut tria nuper rememoranda, recensentur. In aliis vero punctis, sine tanta actuum diversitate, iubemur simpliciter «Speculari,» hispanice *mirar*, aut «Considerare,» quod heic etiam «Speculari» significare videtur: id autem ad contemplationem potius refertur.

Discrimen denique in fine cernitur. In primo enim puncto praescribitur non modo reflexio in meipsum, prout fit in reliquis tribus punctis, sed oblatio quaedam eius similis, quae habetur in colloquis exercitii de regno Christi: quae profecto vices etiam colloquii in hac contemplatione gerere potest.

Praeterea duplex illud documentum, huic contemplationi a Beato Patre praefixum, proprie ad primum dumtaxat punctum refertur. Prius est: «Quod amor debet poni magis» (non dicit unice, sed magis) «in operibus, quam in verbis. Alterum, [quod amor consistit] in communicatione, [quae fit] ab utraque parte, scilicet, ut det et communicet amans amato ea, quae habet, vel ex iis, quae habet, vel potest; et sic vicissim amatus

amanti : ita ut si alter habet scientiam, det illi, qui eam non habet: si honores, si divitias; et sic alter alteri.» Quid autem haec sunt aliud, quam plena illius actus amoris explicatio, quem extorquere nititur ab eo, qui exercetur, maxime in primo puncto, ubi oblationem facere praecipit omnium, quae homo habet, ut in posterum iam ad solum Dei servitium et amorem illis utatur? «Considerando, (ait in primo puncto), multa cum ratione et iustitia, quae ego debeam ex mea parte offerre et dare suae divinae Maiestati, scilicet, omnia mea, et meipsum cum illis.» etc.

Tradita ergo a Beato Patre vera hac germani amoris notione in duplici nota huic contemplationi praefixa, hoc simplici argumento exercitantem compellit ut Deo tradat et seipsum et omnia, quae possidet: Deus te, o homo, maxime amavit, qui maximis te cumulavit beneficiis. Ergo maxime a te redamandus est. Vt autem huiusmodi actum ab homine extorqueat, constituit eum in primo praeambulo «Coram Deo Domino nostro, angelis et sanctis,» qui quidem angeli et sancti «interpellant pro» eo. Non levis agitur res, quae tanto apparatu circumdatur. Iubet illico in secundo praeambulo, «Petere cognitionem internam tot (numero) ac tantorum (magnitudine) bonorum [a Deo] acceptorum, ut ego integre [haec] recognoscens, possim in omnibus amare et servire divinae suae Maiestati.»

Nota quam apte conveniant postrema haec verba cum postremis illis, quae in Principio et Fundamento leguntur: «Vnice desiderantes et eligentes, ea quae magis conducant ad finem, ob quem creati sumus,» seu quod idem esse ibi demonstravimus, «Vnice desiderantes et eligentes ea, quae certo cognoscamus esse divinam voluntatem et divinum beneplacitum.» Qui enim VNICE ea desiderat et eligit, quae certo cognoscit Deum

velle eique placere, is profecto in OMNIBVS Deo servit; nihil enim aliud est servitium, quam plena et integra exsequutio dominicae voluntatis. Quod si in omnibus Deo servit ea mente, ut Deo ipse placeat, seu quia exsequutio divinae voluntatis Deo placet, iam non modo in omnibus servit, sed in omnibus etiam amat. Servit ex amore; amat non verbis tantum, sed etiam operibus.

Revocantur statim in memoriam beneficia a Deo accepta, quae sunt totidem argumenta veri in me divini amoris: beneficia, inquam, creationis, quae in Principio et Fundamento breviter tamquam merum factum recolueram; quod me scilicet creaverit, quod ad aeternam destinaverit beatitudinem, quod reliqua omnia super faciem terrae sita propter me condiderit, ut ad finem consequendum me iuvarent. Beneficia item Redemptionis, ubi omnia congeruntur, quae a Principio et Fundamento usque ad Christi in caelos ascensionem meditati sumus, quae quidem omnia uno hic intuitu congesta considerare oportet. Beneficia tandem seu dona particularia, aliis hominibus non communia, quibus me locupletavit. «Ponderando, inquit, multo cum affectu» quasi tot tantorumque beneficiorum pondere obrutus, ponderando, inquam, cum multo affectu «Quantum fecerit Deus Dominus noster pro me,» et non modo quantum fecerit, sed etiam «Quantum mihi dederit ex iis, quae habet,» immo etiam quantum «Idem Dominus desiderat dare seipsum mihi in quantum potest, iuxta divinam suam ordinationem.»

Quid inde? Quid nisi «Reflectere in me ipsum, considerando multa cum ratione et iustitia» (quam acquum, nimirum, ac iustum sit, ut id ego faciam) considerare ergo, «Quae ego debeam ex mea parte offerre et dare suae divinae Maiestati.» Quid enim mihi pro Christo agendum, quid patiendum sit, statim iam a

prima ad quartam hebdomadam a me sciscitabar; nunc plus aliquid quaeritur: ibi fructus obtuleram, nunc poscitur ipsa arbor; ibi dederam ex meis, hic memet ipse Domino sum redditurus; ibi abnegaveram mea, abnegaveram meos, nunc debeo abnegare me simul cum omnibus meis rebus: «Scilicet, ait, omnia mea et meipsum cum illis.» Moxque formulam subiungit, qua huiusmodi oblatio perficienda est; quam quidem formulam «Multo cum affectu» pronuntianda est, orto ex consideratione ac ponderatione acceptorum beneficiorum et ex grato animo aliquid retribuendi cupido pro omnibus, quae a Domino accepit. Hac igitur oblatione Deo omnia restituo, quae ab ipso acceperam: corpus, inquam, cum omnibus sensibus, animam cum omnibus potentiis, libertatem, familiarem rem, valetudinem, honorem, vitam ipsam, quidquid denique sum et possideo; eaque mente restituo, ut de omnibus «Disponat pro omni voluntate sua.» Quare in posterum me ipse non aliter inspiciam, quam veluti rem ex redonatione alienam voluntarie factam, nullo modo meam, sed novo titulo, in beneficiorum nempe retributionem, Deo traditam. Quare quemadmodum in carnali matrimonio, iuxta Apostolum [1], «Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier;» eodem modo mei ipsius et omnium, quae mihi insunt ita Deo dominium committo ac trado, ut nihil in me dominii mihi reservem.

Quicumque universam hanc et absolutam redonationem non affectu solum et verbis, sed re ac veritate fecerit, iam in posterum tria haec in omni sua operatione praestare debet. Primum, ut Dei beneplacitum unice

1 1 Cor. VII, 4.

intendat: id enim exigit amor amicitiae, quam cum Deo inivit, ut non sui certe, sed amici dumtaxat, bonum quaerat; Dominumque imitetur, qui de se aiebat [1]: «Ego, quae placita sunt ei, facio semper.» Secundum, ut id faciat ex amore, et quidem vehementi, iuxta illud [2]: «Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.» Tertium, idque potissimum, ut nec quidquam eligat, quod certo non noverit esse Dei voluntatem, nec quidquam omittat, quod Dei voluntatem esse cognoverit; sed Christum imitetur de se fatentem [3]: «Meus cibus est, ut faciam voluntatis eius, qui misit me.»

Dixi «idque potissimum,» quia in his duobus consistit illud, quod est dificillimum in perfectione per Exercitia adquirenda, et iuxta eadem exercenda. Ea erat maxima Ignatii cura, ut divinam semper cognosceret voluntatem, cognitamque perfectissime adimpleret. Inde usus perpetuus regularum de sana eligendi ratione traditarum, ut nimirum divinam comperiret voluntatem. Haec divina illa prudentia, quam in tota Sancti Patris vita, in singulis eius actibus, in omnibus ipsius scriptis numquam satis demiramur: quum enim prudentia ostendat quid in singulis actionibus agendum sit, quomodo non sit supra humanum modum prudens, qui in singulis actionibus divinam voluntatem certo cognoscere, certoque cognitam adimplere, studet. Hinc existimatio illa, quam de obedientiae virtute habuit, Societatique tam graviter eam commendavit: per obedientiam namque Dei voluntas ab omnibus facile et certo cognosci potest atque adimpleri; per obedientiam pro-

1 Ioan. VIII, 29.
2 Matth. XXII, 37.
3 Ioan. IV, 34.

inde minus obnoxii sumus diabolicis deceptionibus; facile enim ducimur specie boni in ea, quae sunt iuxta affectum bonum quidem, sed Dei voluntati minime consonum. Boni autem affectus non sunt ratio sufficiens operationum nostrarum, si perfectae eae esse debeant. Bonus erat affectus, quo Beatus Pater in divinam psalmodiam ferebatur; optaretque ut Societas in divinis laudibus concinendis occuparetur: at novit eam non esse divinam voluntatem, et a psalmodia abstinuit. Bonum opus desiderat, teste Apostolo, qui Episcopatum desiderat; melius vero qui divinam voluntatem adimplet: simul ergo ac Ignatius cognovit nolle Deum, ut Societas ad officia haec pastoralia eveheretur, omni cura conatus est, ut ad ea accipienda non adigeretur Societas.

Dicebamus praeterea perfectum hoc divinum servitium, perfectumque amorem, de quo in hac oblatione est sermo, eiusmodi esse oportere, ut nihil omittamus, quod voluntatem Dei esse cognoverimus. Iam vero quoniam voluntas Dei erga nos ad actus etiam summe difficiles et heroicos omnium virtutum sese protendere potest, servitium, quod hic offerimus, ut sincerum sit et Deo acceptabile, supponit non modo adquisitas per exercitia secundae hebdomadae omnes virtutes, sed corroboratas etiam per exercitia hebdomadae tertiae; eo nempe fine, ut charitas Dei in hac quarta hebdomada in animo inflammata, quoties actus imperet aliarum virtutum, robustas eas atque expeditas ad suos actus exserendos inveniat. Quid enim audeat tenellus puer, infirmus, invalidus, sese ad serviendum alicui domino offerre? In quo servire poterit, si viribus careat? Robustam virilitatem requirit servitus, si domino utilis futura sit. Ita pariter, si quis famulari Deo cupiat, robustas prius adquirat solidasque virtutes.

Hinc patet discrimen inter oblationem in exercitio

Regis temporalis factam, et eam, quam nunc facere iubemur. Ibi enim nos offerebamus ad sequendum, id est, ad imitandum Christum, ut nempe per eius imitationem virtutes, quae in ipso splendent, adipisceremur: hic vero nos offerimus ad serviendum Deo per virtutum iam adquisitarum exercitationem: ibi agebatur de sincero, absoluto, ex parte nostra inconditionato proposito, quod tamen ex parte Dei conditionatum erat, si videlicet, Deus vellet me eligere; hic vero agitur de re, ibi proposita et iam adquisita, tradenda, postquam novimus positam a Deo conditionem illam, postquam nimirum electos nos ad perfectissimam Christi imitationem sensimus. Quare prior illa oblatio valde assimilis est oblationi, quae per vota post tirocinii biennium in Societate emittuntur, quorum certe nuncupatione, quantum est ex parte voventis, absolute se tradit Deo, cum promissione ingrediendi Societatem, si in eam postea admittatur; Societas tamen non se obligat ad eum admittendum, ut Rex ille in dicto exercitio, liber est, ut sese ibi offerentem hominem eligat ac reapse ad sui proximam imitationem vocet. Oblatio autem in hac amoris obtinendi contemplatione eadem videtur esse cum illa, quae fit a nuncupantibus ultima vota post diuturna experimenta, post longam virtutum exercitationem, post adquisitam scientiam necessariam, quibus omnibus fit aptum instrumentum ad serviendum Deo in Societate: ideoque Societas tunc etiam ad eum retinendum sese obligat.

Magis id declaratur ex informationibus, quae postremam hanc votorum emissionem praecedunt. Exigitur enim ab eo, qui per haec vota Societati cooptandus est, tantus in virtutibus progressus, ut constet illum ordinarie agere iuxta exigentiam virtutis; et prudenter speretur, fore ut iuxta eamdem operaturus sit, si quan-

do casus aliquis difficilior occurrat. Quid vero aliud id significat, nisi illum, qui vota emissurus est, obtinuisse habitus virtutum, eosque adeo intensos, ut etiam actum difficiliorem, si forte occurrat occasio, exercere valeat? Quum igitur ad habitus virtutum adquirendos hebdomada secunda dirigatur, tertia vero ad eos corroborandos; finem duplicis huius hebdomadae obtinuisse oportet quicumque ad gradum in Societate accipiendum promovetur: non alia sane ratione, qua intelligitur aliquid habere ac possidere eum, qui in quarta hac hebdomada Deo quidquid habet ac possidet retribuens offert. Qui enim evangelicis virtutibus instructi non sint, quomodo ad apostolica ministeria, ad quae exercenda applicandi sunt qui vota haec emiserunt, applicari poterunt?

Apposite Augustinus [1] agens de sanctis Apostolis: «Discamus, inquit, eorum exemplo mundi divitias contemnere, praesentis saeculi voluptatem non amare, regnum caeleste desiderare, Christo nihil praeponere, sed eius mandatis in omnibus obedire, paupertatem praesentium rerum diligere, virtutum divitias habere, sapientiae thesaurum appetere, spiritales delicias quaerere, nulli invidere, sed omnes homines diligere, amicos in Deo et inimicos propter Deum; quia haec est vera et sola dilectio.» En perfectio obtinenda in secunda, tertia, et priore huius quartae hebdomadis parte. Vide nunc perfectionem in hac contemplatione ad amorem obtinendum contenta: «Isti, subiungit, Principes nostri, in amore Dei perfectissimi, et in proximorum dilectione impleti, hinc potuerunt mundi impetum vincere et cruentum saeculum domare, quia nihil amaverunt in omni re, nisi Dei voluntatem. Ita et nos, fra-

1 Sermo 43 de Sanctis.

tres, diligamus in omnibus rebus Dei facere voluntatem, et creatorem nostrum amemus in semetipso, creaturam vero in conditore suo, et sic habebimus ordinatissimam charitatem.» En fructus primi puncti contemplationis, de qua agimus, seu adimpletio divinae voluntatis, et puncti etiam quarti, qui in hoc stat, ut Deum in seipso, creatas vero res in Deo diligamus.

CAPVT XXVIII

DE SECVNDO, TERTIO ET QVARTO PVNCTO CONTEMPLATIONIS AD OBTINENDVM AMOREM

Postquam in primo puncto totum se homo, et universa, quae possidebat Deo absolute tradidit; postquam adquisitas omnes et corroboratas virtutes imperanti charitati regendas exercendasque obtulit: opus iam est, ut charitati faces admoveantur, quo purior in dies fortiorque evadat, et actus omnes aliarum virtutum ex imperio ardentissimae charitatis, novam, eamque perfectissimam, formam induant. Id autem praestat Beatus Pater in triplici puncto, quod post primum illud, in hac ipsa contemplatione proposuit.

In secundo enim puncto exhibet Deum omnibus rebus creatis praesentem seu in eis habitantem, quamque in suo gradu conservans: in me vero speciali quadam ratione, tamquam in templo, habitantem, omnesque mihi perfectionis gradus tribuens, quos aliis creatis rebus dispertiverat. «Et ita, inquit, in me [habitat] dans mihi esse, vivere, sentire et faciens me intelligere.» Ex qua facultate intelligendi illud oritur, ut sim Dei templum, «Quum creatus sim, ait, ad similitudinem» et non ad similitudinem modo, sicut res aliae creatae, sed etiam «ad imaginem suae divinae Maiestatis.»

Haec sane divina omnipraesentia licet Deo necessaria sit, posita rerum creatione, quum conservatio ad eum pertineat tamquam ad auctorem naturae; attamen quoniam ipsa creatio fuit non modo ipsi libera, sed etiam opus amoris in creaturam, censeri potest Deus adimplere veri amatoris voluntatem, optantis personam amatam gerere praesentem, ut eam intuens, gaudeat. Specialis autem in me amoris signum fuit, quod intelligendi virtute me instrueret, quod sui imaginem me finxerit, quod in me tamquam in templo habitet. Quae omnia si attente considerentur, non possunt quin amorem in me erga Deum inflamment; quin curam in me excitent Deum intuendi praesentem tum intra memetipsum, tum in rebus omnibus, quae me circumstant; quin denique me doceant qua reverentia tractare me debeam, quanta sollicitudine curare ne quid tam sancto templo indignum in me geratur.

Ad hanc vero Dei praesentiam excitandam atque augendam, summopere conferet unica illa et maxima cura cognoscendae adimplendaeque divinae voluntatis: fieri namque nequit, ut a cogitatione Dei perpetua illa sollicitudo separetur. Eamdem ob causam non minus conferet purissima illa intentio placendi Deo, quae divinae voluntatis adimpletionem comitari debet. E converso autem, ipsa Dei praesentia cognitionem adiuvat divinae voluntatis, haud aliter quam illi, qui semper coram principe aut domino versantur, eius vultum perpetuo aspicientes, ipsius placita, etiam in particularibus omnibus minutissimisque rebus facillime dignoscunt. Illi vero, qui apostolicis ministeriis dant operam, ex hac divina praesentia assuescent in proximis nihil aliud cernere, quam viva templa, in quibus habitat Deus, quorum mundities et pulchritudo sibi curae esse debet, nulla habita ratione exterioris et corporei habi-

tus, paupertatis aut divitiarum, generis nobilitatis humilitatisve, et similium, quae causa esse possent cur hos libenter quaerat, alios vero fugiat aut devitet.

Praeterea in tertio puncto obiicitur Deus non habitans modo in creatis omnibus rebus, sed in eis etiam operans ac sese habens ad modum laborantis; ut nempe doceamur nostrum pariter amorem non sterilem, sed actuosum esse oportere; actuosum autem ita ut non modo ad faciendum bonum inclinet, sed etiam ad toleranda mala, quae vel in aggrediendis arduis in honorem Dei proximorumque salutem facinoribus inveniemus, vel quae Deus ipse ad heroicam omnium virtutum exercitationem immittet: ita namque homines erimus mundo crucifixi et quibus mundus crucifixus sit; homines, inquam, novi, qui nostris nos affectibus exuerimus, ut Christum indueremus; nobis mortui, ut iustitiae viveremus: qui, ut ait Apostolus [1], in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, nos Dei ministros exhibeamus; et per arma iustitiae, a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera denique et adversa, magnis itineribus, ad caelestem patriam et ipsi contendamus, et alios etiam, quacumque possimus ope studioque compellamus, maximam Dei gloriam semper intuentes. Haec enim est summa, hic scopus nostri instituti, seu, quod idem est, Ignatianorum Exercitiorum.

Quartum denique punctum, doctrina quidem uberrimum, verbis tamen brevissimum est. Hactenus consideravimus Deum in creaturis habitantem operantemque; nunc vero ipsae res creatae veluti divinitate qua-

1 2 Cor. VI, 5.

dam splendentes obiiciuntur. Quid enim aliud sunt perfectiones universae, quae in creaturis cernuntur, nisi participationes et limitatae formae ac similitudines infinitarum perfectionum, quae in Deo, totius perfectionis pelago immenso, reperiuntur? Purificato ergo mentis oculo, aspiciendae creaturae sunt non quasi creaturae, sed quasi imagines creatoris, ut evanescente ipsa creata re, tota mens in creatorem feratur: non aliter sane quam mater tenerrima imaginem absentis filii, quem ardentissime amat, contemplans, ita in filium ipsum fertur, ut chartam, in qua imago depicta est, non animadvertat, sed in filio speculando tota haeret; imaginem autem ori admovet, summo affectu exosculatur, pectori applicat, et tota filii amore exardescit, non secus ac si praesens dilectus filius adesset.

Ita cui Deus oculos aperiat, ut in creaturis omnibus non modo Dei opera, sed Dei imagines discernat, in omnibus Deum videbit, Deum amabit, totumque esse creaturarum penitus evanescet. Si res prospere accidant, Deum sentiet eum recreantem; sin adversae eveniant, non poterit non consolari, quum intelligat divinum tunc esse beneplacitum ut adversitate toleranda amorem erga Deum ostendat. Quid autem misella creatura perpetiendum renuat, ut Deo placeat, ut Deus gaudeat, ut Deum, paene dixerim, debitorem sibi constituat? Ibi namque nostrum in Deum amorem potissime ostendere possumus, ubi pro eius beneplacito nostram consolationem abnegamus, ubi id, quod humanae naturae plus adversatur, hilari animo pro Deo sustinemus.

Atqui Deus liberalior est in creaturas, quam creaturae erga Deum. Si quis ergo ad tam purum atque incensum Dei amorem pervenerit, quibus quaeso divinis consolationibus non perfruetur? quibus spiritualibus gau-

diis non exsultabit? «Satis, Domine, satis,» clamabat Xaverius, quum caelestis voluptatis torrente perfundebatur: «Plura vero, Domine, plura,» quando obruebatur adversis. «Abi paulisper, Domine, abi: ferre non valeo: erumpo,» aiebat Alphonsus, a Deo recreatus, postquam praeclaram a daemone victoriam obtinuerat: et medio in praelio constitutus, plura semper pati et acriora flagitabat.

Hactenus de quatuor punctis maximi illius exercitii, quod in fastigio spiritualis sui aedificii Ignatius collocavit. Ex cuius sane celsitudine iuvat considerare quomodo inordinatam omnem affectionem ex homine radicitus evulserit. Vniversas enim illas affectiones ad triplicem concupiscentiam redigens, de qua loquitur Ioannes, in prima quidem hebdomada carnis concupiscentiam vitaeque superbiam profligavit, quatenus in peccatum hominem pertrahunt; simulque solidum humilitatis fundamentum, cui reliquae virtutes innitantur, in propria cognitione iecit. In secunda vero hebdomada ulterius progressus est, bellumque indixit concupiscentiae quidem oculorum et superbiae vitae, non iam quatenus ad peccatum impellunt, sed quatenus evangelicis consiliis de contemnendis bonis mundanis, ad quae bona illae feruntur, obsistunt: eique duplici concupiscentiae amorem dominicae paupertatis humilitatisque suffecit. In hebdomada deinde tertia, trinam illam concupiscentiam profligare fecit, quatenus maximorum malorum tolerationem refugiunt, quae quidem toleratio exercitio heroicarum virtutum necessaria est, immo et ipsarum adquisitioni.

In hac vero quarta hebdomada animum, omni iam virtutum genere ornatum, nonnullis quidem inordinatis affectionibus purgatum voluit, quae adhuc possunt in homine remanere etiam postquam in tertia hebdomada

eas sustulit, quae gravissimorum malorum pro Christo perpessioni adversabantur. Nam quemadmodum in homine illae exstant affectiones, quibus vel ad mundana bona rapimur, vel a mundanis malis, praesertim gravissimis, tolerandis avertimur; hae vero affectiones ideo inordinatae sunt, quia eis ducimur contra, vel saltem praeter, divinam voluntatem certo cognitam: ita postquam quis eas in secunda ac tertia hebdomada ita cohibuerit et exstirpaverit, ut iam a voluntate divina adimplenda neque amore boni ullius mundani, neque ullius mundani mali timore avertatur aut retardetur; potest tamen ab ea averti amore spiritualis cuiusdam boni vel mali spiritualis timore: quare spiritualis huiusmodi affectio, quia voluntatis divinae adimpletionem impedit aut retardat, inordinata procul dubio est. Sic inordinate ageret qui ita ex ardenti zelo aliorum saluti incumberet, ut vel contra Dei voluntatem, sibi ipsi detrimentum afferret, vel contra debitam Superiori obedientiam, commissum sibi officium negligeret. Inordinate pariter ageret, qui timore incidendi in superbiam, iniunctum a Deo vel Superiore munus honorificum accipere detrectaret. Huiusmodi ergo inordinatae spirituales affectiones tolluntur per purissimum amoris affectum, qui in hac quarta hebdomada excitatur. Quicumque enim tam perfectum amorem adeptus fuerit, quicumque omnimodam illam suimet rerumque omnium suarum oblationem Deo vere effecerit, nullum aliud suarum operationum principium, nullum alium finem habebit, quam divinum beneplacitum, divinamque certo cognitam voluntatem.

En ergo quo pacto Beatus Pater hominem adduxerit: «Vt se praepararet ac disponeret ad tollendas a se omnes (etiam spirituales, quas diximus) affectiones inordinatas, et postquam eas sustulerit, ad quaerendam et

inveniendam divinam voluntatem, in vitae suae dispositione (tum in electione status, tum in rebus omnibus particularibus), ad salutem animae,» non eam modo, quae consistit in ultimi finis consequutione seu non amissione, sed illam etiam, quae secum affert maximam (pro quoque homine) beatitudinis in caelis participationem.

Porro dupliciter intelligi potest coercuisse hominem inordinatas illas affectiones, quibus sublatis, quaerit et invenit divinam voluntatem. Primo quidem imperfecte, actu eas ita coercendo, ut divinae voluntatis, quam exquirit, cognitionem minime impediant: et huiusmodi cohibitio necessaria est quoties electio quaelibet recte instituenda sit sive de statu ac vitae instituto, sive de particulari alia re deligenda agatur. Secundo autem perfecte, per adquisitionem videlicet virtutum illis affectionibus contrariarum, ut quis non modo actu, sed habitu etiam paratus sit ad voluntatem divinam inveniendam, quin inordinatis illis affectionibus impediatur aut retardetur. Quae quidem adeo excellens animi perfectio docetur, ut vidimus, in Exercitiis: eius vero obtentio non est unius diei opus, neque unius mensis, neque unius anni, sed temporis plus minusve diuturni prout acriori quis remissiorive animi contentione proposita in Exercitiis concepta, aut saltem concipienda, exsequatur. Ex perfecta hac et constanti animi contentione viri fortissimi «Consummati in brevi, expleverunt tempora multa;» ita cucurrerunt, ut comprehenderint: tepidi vero ac negligentes, quia proposita numquam exsequutioni mandant, toto vitae tempore obambulant, neque ad perfectionis fastigium ascendunt.

CAPVT XXIX

DE TRIPLICI ORANDI MODO

Beatus Pater in quarta adnotatione propriam cuiusque hebdomadae materiam assignans, «Quarta, inquit, resurrectio et ascensio, appositis tribus orandi modis.» Hos autem orandi modos non pertinere ad unam quartam hebdomadam, vel inde intelligitur, quod ipse Ignatius per eos exercere illos praecipit, qui indispositi accedunt ad integra Exercitia facienda, ut initio dicebamus. Apposuisse vero huiusmodi orandi modos hebdomadae quartae censendus est, ut significaret eorum explicationem tradendam esse eis, qui integra iam Exercitia perfecerint, quasi quoddam totius spiritualis suae artis complementum.

§ I. DE PRIMO ORANDI MODO

Materia primi huius modi sunt «Decem praecepta et septem peccata mortalia, tres potentiae animae et quinque sensus corporis.» Quod autem ad formam attinet, animadvertit Beatus Pater, hunc modum non tam habere orationis formam, quam spiritualis cuiusdam exercitationis, per quam, primo quidem, «Anima se praeparet;» deinde vero, «In illis (nimirum exercitationibus) proficiat;» tertio denique, «Vt oratio accepta sit [Deo].» Quod autem ad eius initium pertinet, duo statuuntur. Prius est, «Vt fiat aequivalens secundae additionis secundae hebdomadae.» Alterum est, «Oratio quaedam praeparatoria,» non sane illa, quae initio omnium exercitiorum hactenus sine ulla umquam mutatione facta est, sed quaedam specialis petitio, illius simillima, quae

in secundo tertiove praeambulo praescribebatur. «Veluti, ait, petere gratiam a Deo Domino nostro, ut possim cognoscere in quo defecerim circa decem praecepta.» Idem dic de septem peccatis, de tribus animae potentiis, ac de quinque sensibus corporeis. «Item, subiungit, petere gratiam et auxilium ad emendandum me in posterum: postulando perfectam intelligentiam illorum ad melius ea servanda,» etc.

Medium autem huius orandi modi proxime ad examen accedit. «Convenit, ait, considerare et cogitare in primo praecepto quomodo illud servaverim et in quo defecerim.» Et postquam tempus definivit, quo in hac consideratione et cogitatione sistendum est, scilicet, «Spatium quo quis recitat ter *Pater noster* et ter *Ave Maria*;» haec subiungit: «Si hoc tempore invenio defectus meos, petere veniam (videlicet culpae) et remissionem (poenae) illorum, et dicere unum *Pater noster*.» Idipsum, et quidem «Hoc eodem modo, inquit, fiat in quodam ex decem praeceptis.» Et ita porro in septem peccatis, in tribus animae potentiis, et in quinque corporis sensibus.

Finis autem tria complectitur. Primum est, accusatio peccatorum, quae me admisisse contra decem praecepta, in septem peccatis, etc. deprehendero. Secundum, nova gratiae auxiliique ad me in posterum emendandum petitio. Tertium, «Terminare colloquio ad Deum Dominum nostrum iuxta subiectam materiam.»

Fructus ex hoc primo orandi modo hauriendi tres in praeparatoria illa oratione numerantur. Primus est, defectuum cognitio; secundus, eorum emendatio in posterum; tertius, perfecta praeceptorum intelligentia, ad ea melius servanda; septem peccatorum, ad ea cautius vitanda; potentiarum denique ac sensuum, ut eis rectius uti valeam.

Tria tandem in hoc orandi modo docet Ignatius. Primum est huiusmodi: «Quando quis venerit ad cognitionem [sive discussionem] praecepti alicuius, in quo reperit non habere se ullum habitum peccandi, non est necesse ut immoretur tanto tempore: sed secundum quod quis reperit se plus vel minus impingere [offendere] contra illud mandatum, ita debet plus vel minus immorari in consideratione et scrutinio illius. Et hoc idem servetur in peccatis mortalibus.» Secundum: «Ad melius cognoscendas culpas commissas in peccatis mortalibus, considerentur eorum contraria: atque ita ad melius vitanda ea, proponat et curet ille sanctis exercitiis adquirere et possidere septem virtutes illis contrarias.» Tertium: «Qui vult imitari in usu sensuum suorum Christum Dominum, commendet se in oratione praeparatoria suae divinae Maiestati: et post consideratum unumquemque sensum, dicat unum *Ave Maria* vel unum *Pater noster*. Et qui vellet imitari in usu sensuum Dominam nostram, in oratione praeparatoria se commendet illi, ut sibi obtineat gratiam a Filio suo ac Domino ad hoc ipsum; et post consideratum unumquemque sensum, dicat unum *Ave Maria*.»

§ II. DE SECVNDO ORANDI MODO

Materia secundi modi sunt vocales preces. Quamvis autem quaelibet vocalis oratio apta sit huiusmodi orationis materia; Ignatius tamen quinque dumtaxat affert preces: Dominica oratio, salutatio angelica, Apostolorum symbolum, et illae quae incipiunt «Anima Christi» et «Salve Regina.» Forma vero, quoad initium constat aequivalenti illo secundae additionis in secunda hebdomada usurpato, et oratione praeparatoria «Conformiter personae, ad quam dirigitur oratio.» Me-

dium consistit in consideratione singularum vocum, quibus vocalis illa oratio constat, quaerendo varias earum significationes et comparationes, quae animae gustum et consolationem spiritualem afferant. Fieri potest haec oratio vel genibus flexis vel sedendo prout quisque magis se dispositum repererit, et prout magis eum devotio comitetur. Oculos autem vel clausos vel unum in locum defixos habere debet, ita ut huc illuc eos nequaquam moveat. In fine tandem, primo quidem, solito more recitanda sunt verba reliqua orationis, quam quis consideravit, si totam nondum percurrerit; deinde vero, reliquae preces supra recensitae recitandae pari modo sunt.

Animadvertit Ignatius, in primis, immorandum esse in hoc orandi modo per unius horae spatium. Secundo, servandum esse id, quod in quarta iam additione praescriptum fuerat: «Si ille, inquit, qui contemplatur orationem Dominicam, inveniat in una voce vel in duobus tam bonam materiam cogitandi, et gustum et consolationem, non curet progredi ulterius.» Tertio, «Si in una voce vel duabus orationis Dominicae immoratus fuerit una hora integra, quando volet redire ad [eamdem] orationem, dicat supradictam vocem vel duas illas more solito; et in voce, quae sequitur immediate, incipiat contemplari eo modo, quo dictum est.» Quarto, omnia quae de oratione dominica dicta sunt, applicanda etiam esse precibus aliis supra memoratis. Quinto denique, «Quod finita oratione, paucis verbis convertendo se ad personam, ad quam directa fuit illa oratio, petat virtutes vel gratias, quibus sentiat se magis indigere.

Fructus ex hoc secundo orandi modo capiendus, duplex potissimum esse videtur. Primus quidem, plenior intelligentia vocalium precum, quas solemus frequentius recitare; alter vero est facilis quidam transitus a

vocali ad mentalem orationem, seu potius utriusque simultanea excercitatio.

§ III. DE TERTIO ORANDI MODO

Postremus hic orandi modus eamdem habet materiam, quam praecedens, eamdemque additionem orationemque praeparatoriam. Differt autem in eo, quod non iam in quaerendis singularum vocum significationibus immorandum sit, sed «Ad quemlibet anhelitum seu [ad quamlibet] respirationem orandum est mentaliter.» Ratio vero mentaliter orandi ea est, ut recitata una orationis vocula, inter unum anhelitum et sequentem alterum, «Attendatur praecipue *a)* ad significationem talis vocis, vel *b)* ad personam, ad quam recitat [oratio dirigitur], *c)* vel ad vilitatem sui ipsius, *d)* vel ad differentiam inter tantam altitudinem [illius personae] et tantam vilitatem propriam.» Ex quibus profecto intelligitur varius ac multiplex fructus, qui ex simplicissimo hoc orandi modo percipi potest.

CAPVT XXX

DE DOCVMENTIS, QVAE BEATVS PATER IN FINE LIBELLI APPOSVIT

Post triplicem orandi modum nonnulla scripsit Ignatius, quibus nullum inter hebdomadas quatuor certum locum assignavit. Nos vero regulas de spiritibus discernendis priores quidem inter documenta primae hebdomadae, posteriores autem easque, quae in ministerio distribuendarum eleemosynarum sunt servandae, inter documenta hebdomadae secundae recensuimus.

Quod ad mysteria vitae Christi spectat, nihil dicen-

dum occurrit. Regulae vero servandae ad sentiendum cum orthodoxa Ecclesia, etsi summi momenti sunt, hodiernis praesertim temporibus, quando spiritus ille novatorum, quem ibi expugnat Beatus Pater, omnia penitus invasit; adeo tamen sunt in se perspicuae, ut vix explanatione indigeant.

Superest ergo, ut pauca dicamus de regulis «Ad sentiendos et dignoscendos scrupulos et suasiones inimici nostri.» Vbi duo tractat Ignatius, scrupulos et inimici nostri suasiones.

Et primo quidem explicat quid non sit, deinde quid sit proprie loquendo scrupulus. Docet igitur scrupulum non esse, etiamsi scrupulus appellari soleat, «Illud quod procedit ex nostro iudicio et libertate,» id est, «Quando ego libere iudico esse peccatum, quod peccatum non est: sicut accidit, ut aliquis postquam calcavit incidenter crucem ex paleis [formatam], iudicet suo proprio iudicio se peccasse.» Id autem «Iudicium erroneum, non proprie scrupulus,» appellandum est.

Scrupuli autem naturam in secunda regula definit, eiusque tres notas recenset: prima est, cogitatio extrinsecus adveniens, quod peccaverim in cogitatione, dicto vel facto, in quo reapse minime peccavi; secunda est, alia cogitatio hominis propria, qua sibi videtur neutiquam in illa cogitatione, dicto vel facto peccasse; tertia est, quaedam animi inde orta turbatio, scilicet, «In quantum dubito [seu timeo de peccato], et in quantum non dubito. Istud est proprie scrupulus et tentatio, quam inimicus ingerit.»

Improprium illum scrupulum seu erroneum iudicium, quum totus sit error, valde abhorrendum esse docet in tertia regula. De secundo autem aliud statuit; ait enim, «Non parum prodesse animae, quae se dat spiritualibus exercitiis,» si tamen non diu, sed dumtaxat «Per ali-

quod spatium temporis» perduret. Immo vero prodesse solet, quia «Magnopere purgat et mundat talem animam, separando illam valde ab omni specie peccati, iuxta illud Gregorii: «Bonarum mentium est ibi culpam cognoscere, ubi culpa nulla est.» Quam acriter huiusmodi scrupulis cruciatus fuerit Beatus Pater initio sui ad Deum conversionis, dum Manresae in xenodochio Sanctae Luciae cum mendicis vitam degeret, lege apud Rivadeneiram, libro primo, capite sexto.

In postremis deinde tribus regulis agit de inimici suasionibus. Et in quarta quidem eius calliditatem ostendit, qua diligenter «Observat sitne anima crassa an delicata,» eo nempe fine, ut si delicata sit, delicatiorem reddat, in extremum quemdam anxietatis gradum redigat, ut sic misere turbatam a profectu spirituali tandem deiiciat. Idque peragit efficiendo ut anima ibi «Iudicet [esse] peccatum, ubi peccatum non est.» E contrario autem, si crassam deprehendit, reddere satagit crassiorem, ut quae prius venialia peccata negligebat, mortalia quoque nunc parum curet, ac in dies minoris ducat. Quam sane callidi inimici rationem agendi vitandam esse docet in quinta regula, eius contrariam rationem omnino tenendo: ut si laxiorem ille conscientiam facere adnitatur, faciam ego strictiorem; aut contra, relaxem ego, si daemon nimium velit restringere: et «Anima procuret solide se firmare in medio, et omnino quietam se reddat.»

Denique in sexta regula aliam inimici artem detegit, qua spiritualem hominem a bono operando avertere molitur. Volenti enim aliquid dicere aut agere, quod ab Ecclessiae usu aut maiorum nostrorum sensu non dissonat, quodque in Dei gloriam tendit, obviat extrinsecus suggestio dissuadens, ne dicat aut agat illud propositum, adducta vel vanae gloriae vel mali alterius

cuiusvis fucata quadam ratione. Quibus inanis gloriae aculeis adeo exstimulatus est dum Barcinone Ierosolymam navigaturus moraretur, «Vt neque patriam neque genus suum retegere auderet, multo vero minus, quo iter suum dirigeret, ne forte bona hominum de se opinione intumesceret.» Ita Rivadeneira, loco citato, capite decimo.

Quibus vero armis profligandus inimicus erit? «Tunc, ait, debet elevare mentem ad suum Creatorem et Dominum: et si videat [illud] esse debiti servitii, vel saltem non [esse] contra [eius obsequium], debet facere per diametrum contra illam tentationem, iuxta Bernardum eidem respondentem: «Nec propter te incepi, nec propter te finiam.»

Doctrinam in hac sexta regula tradita uberius explicat Beatus Pater in quadam epistola ad saepe laudatam Sororem Teresiam Rejadellam [1].

1 Cartas de S. Ignacio, Tomo I, Carta VII.

A. M. D. G.

INDEX

Lectori benevolo S. P. . . . . pag. 7
Caput I. De Ignatianis exercitiis in universum spectatis, deque varia eorum specie pro diversa exercendorum dispositione. 9
Caput II. Exercitiorum definitio et in quatuor hebdomadas partitio. 16
§ I. Definitio nominis exercitiorum. 17
§ II. Definitio exercitiorum per causam materialem et formalem. 21
§ III. Definitio exercitiorum per causam finalem. . . . 23
§ IV. Integra exercitiorum definitio. 26
§ V. Exercitiorum in quatuor hebdomadas divisio. . . . 28
Caput III. De principio et fundamento. 31
Caput IV. De prima hebdomadâ, deque primo eiusdem exercitio. 39
Caput V. De secundo primae hebdomadis exercitio. . . 48
Caput VI. De tertio et quarto primae hebomadis exercitio. 55
Caput VII. De quinto primae hebdomadis exercitio. . . . 62
Caput VIII. De forma seu ratione exercitiorum primae hebdomadae rite instituendorum. 68
§ I. De ratione incundi exercitii, seu de oratione praeparatoria et de preludiis. 68
§ II. De exercitii progressu, et primo de meditatione per tres animae potentias facienda. 70
§ III. De repetitione deque eius resumine. 75
§ IV. De applicatione sensuum. 77
§ V. De finiendo exercitio per colloquium ac precem vocalem. 80
Caput IX. De primis documentis ad exercitia hebdomadis primae pertinentibus, seu de decem additionibus. . . 82

§ I. De quatuor primis additionibus. 83
§ II. De quinta additione. 86
§ III. De additione sexta. 89
§ IV. De septima, octava et nona additione. 92
§ V. De decima additione seu de poenitentia. 93
§ VI. Quam sit necessaria accurata additionum observatio. 98
Capvt X. De altero documentorum genere primae hebdomadis proprio, seu de prioribus spirituum dignoscendorum regulis. 99
§ I. Eum, qui se exercet, diversorum spirituum agitationibus iactatum iri. 100
§ II. Quid cum tentato in prima hebdomada agendum. . 102
§ III. De causis desolationis. 109
§ IV. Ratio agendi cum eo tenenda, qui consolatione fertur. 111
Capvt XI. Exercitium de regno Christi. 114
Capvt XII. De exercitiis, quae tribus primis secundae hebdomadae diebus facienda sunt. 120
Capvt XIII. De duobus vexillis. 123
Capvt XIV. De tribus hominum binariis seu classibus. . 132
Capvt XV. De exercitiis post quartum secundae hebdomadae diem faciendis. 136
Capvt XVI. De triplici humilitatis gradu. 139
Capvt XVII. De electionibus ac de reformatione. 145
§ I. Quid sit et quotuplex electio. 145
§ II. De electione iam facta. 147
§ III. De primo ac secundo tempore electionis recte instituendae. 148
§ IV. De posterioribus spirituum dignoscendorum regulis, secundi huius temporis maxime propriis. 149
§ V. De tertio rectae electionis faciendae tempore, deque eiusdem priori modo. 155
§ VI. De secundo temporis tertii modo faciendae sanae et bonae electionis. 159
§ VII. De regulis in ministerio distribuendarum eleemosynarum servandis. 162
Capvt XVIII. De forma exercitiorum secundae hebdomadae. 165
Capvt XIX. De documentis ad secundam hebdomadam pertinentibus. 172

Caput XX. De exercitiis tertiae hebdomadae, deque fructu ex eis eliciendo. 181
Caput XXI. De forma exercitiorum tertiae hebdomadae propriorum. 188
Caput XXII. De documentis ad tertiam hebdomadam spectantibus. 193
Caput XXIII. De contemplationibus resurrectionis in quarta hebdomada. 200
Caput XXIV. De forma exercitiorum quartae hebdomadae propriorum. 203
Caput XXV. De documentis ad quartam hebdomadam spectantibus. 205
Caput XXVI. Nonnulla notatu digna in contemplatione ad obtinendum amorem. 208
Caput XXVII. De primo puncto contemplationis ad obtinendum amorem. 213
Caput XXVIII. De secundo, tertio et quarto puncto contemplationis ad obtinendum amorem. 222
Caput XXIX. De triplici orandi modo. 229
§ I. De primo orandi modo. 229
§ II. De secundo orandi modo. 231
§ III. De tertio orandi modo. 233
Caput XXX. De documentis, quae Beatus Pater in fine libelli apposuit. 233

CORRIGENDA

Pag. VII	*lin.* 25	Constitutionem	*corrige*	Constitutionum
47	7	eius		eorum
60	21	et		est
93	29	rapientis		rapientem
102	24	divinare		divinare possit
130	7	quas		quae
166	15	loco		loci
169	4	segestem		segetem

060.32
N 731
6565
NONELL, JAMES
AUTHOR
Ars Ignatiana
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
6565